FORT
HILL

LURLEY
MANOR

LUDOVICI LAVATERI,
Theologi eximii,
DE
SPECTRIS, LEMURIBUS
VARIISQ.
PRÆSAGITIONIBUS
Tractatus vere aureus.
Lugd. Batav.
APUD IORDANUM LUCHTMANS.
1687.

DE SPECTRIS, LEMURIBUS ET MAGNIS,

Atque insolitis fragoribus, variisque præsagitionibus, quæ plerunque obitum hominum, magnas clades, mutationesque Imperiorum præcedunt,

LIBER UNUS.

In tres partes distributus.

Omnibus veritatis studiosis summè utilis.

Authore

LUDOV. LAVATERO TIGURINO,

Editio quarta prioribus multò emendatior.

LUGD. BATAV.

Apud JORDANUM LUCHTMANS, Bibliopolæ, Anno 1687.

D. GUILIELMO WALRAVIO,
ECCLESIASTÆ WODRICHEMENSI.

D. HENRICO VELDIO,
ECCLESIASTÆ HOECCLEMENSI.

D. ANTONIO BORREMANSIO,
ECCLESIASTÆ REMONSTRANTIUM
GORINCHEMENSI,

VIRIS REVERENDIS ET DOCTISSIMIS,
QUORUM EGO FAVOREM AMICITIAM
QUÆ SÆPE EXPERIOR,

NON MAGNUM, SED AUREOLUM HUNC
LUDOVICI LAVATERI,
VIRI CLARISSIMI & DOCTISSIMI.
DE SPECTRIS LEMURIBUSQUE LIBRUM,

QUI IN BELGICAM NUPER LINGUAM VERSUS
ERUDITIS PLACUIT,
NUNC SUA LINGUA DENUO EXCUSUS
NON PLACERE NON POTEST.

Grati animi publicum monumentum,
Alienum hoc quidem, sed & meum,

L. M. Q.

OFFERO ATQUE INSCRIBO

IORDANUM LUCHTMANS.

Magnifico, prudentia & virtute præstanti viro.

D. JOANNI STEIGERO,

Amplissimæ Reipublicæ Bernensis Consuli, domino & patrono suo colendissimo,

LUDOVICUS LAVATERUS TIGURINUS,

S. D.

MUlta ac varia à doctis pariter atque indoctis, cùm de aliis rebus disputantur, tum de Spectris, quæ noctu & interdiu terra marique, in agris & sylvis, item in domibus conspiciuntur atque audiuntur, hominesque

Multus est sermo de Spectris.

territant: item de mirandis illis rebus, quæ plerunque hominum obitum, & imprimis magnorum principum, atque mutationes insignes imperiorum præcedunt. Multi qui nihil harum rerum unquam vel viderunt vel audiverunt, putant omnia quæ de illis dicuntur, meras nugas & aniles fabulas esse: homines enim simplices, item timidos & superstitiosos, sibi ipsis persuadere, quòd hæc vel illa viderint & audiverint, quum res longè aliter habeant. E diverso sunt alii, qui quum primùm aliquid audiunt, noctu præsertim, statim existimant Spectrum aliquod vagari, magnamque animo molestiam capiunt, eo quòd res physicas à Spectris non possint discernere. Quidam verò (præcipuè illi qui ex animabus defunctorum lucrum venantur) dicunt, pleraque quæ audiuntur & conspiciuntur, animas esse mortuorum, opem à viventibus petentes, ut è cruciatumaximorum

maximorum dolorum Purgatorii liberentur. Multi non plebeii solùm homines, sed etiam excellentes viri, mirantur an sint Spectra, & quidnam sint. Rogarunt etiam me amici non semel ut meam eis de his sententiam declararem.

Operæ precium igitur facturus esse videor, si ex verbo Dei & probatis scriptoribus, quid de his rebus sentiendum esse videatur, breviter & perspicuè exponam. Nihil enim utilius ministri Ecclesiarum facere possunt, quàm ut homines de rebus necessariis, quæ in controversiam veniunt, ex verbo Dei, quod Lucerna est (ut Psaltes dicit) pedibus nostris, & lumen semitarum nostrarum, purè & perspicuè doceant, eosque ex erroribus & superstitionibus liberent, omnemque dubitationem & hæsitationem eis eximant. Illorum quoque studium & diligentia summopere prædicanda est, qui ab aliquot annis contra varios errores, libros ex sacris

literis concinnatos, Germancica aliisque linguis ediderunt: illorum item qui nostro adhuc tempore rudes & imperitos editis libris docent, erudiunt & confirmant. Nam inter multa alia excellentia beneficia, quæ Deus pater noster cæleſtis humano generi contulit, hoc quoque magnum & præclarum est, quòd in senecta illa mundi, cùm tot bonos libros, tum sacras literas veteris & novi Instrumenti, variis linguis arte typographica in lucem protulit: quibus nos non tantùm pleniſſimè docet quid credendum, quidque faciendum sit: sed varios quoque & multiplices errores, qui paulatim in Eccleſiam irrepserunt, vehementiſſimè oppugnat. Omnes certé illi erga Deum valde ingrati sunt, qui ingens hoc beneficium ipsius non agnoscunt.

Hanc verò meam tractationem De Spectris & ostentis, ad meliorem

rem intelligentiam in tres partes distinxi. In prima parte ostendo, Quòd Spectra & spritus existant, & interdum hominibus occurrant: quodque multæ mirandæ res præter naturæ ordinem eveniant. In secunda parte, Quidnam sint: non animæ vita defunctorum, ut quidam opinantur, sed vel boni aut mali angeli, vel alioqui arcanæ & occultæ Dei operationes. In tertia, Quare Deus interdum Spectra apparere sinat, & varia præsagia accidere: item quomodo homines sese ad occursum illarum rerum gerere debeant. In his capitibus præcipueè res continentur, de quibus, quod hoc negotium attinet, disputari potest.

Partes hujus libri.

Cæterùm ex sacræ Scripturæ oraculis, quibus niti possumus, ex vetustis Patribus, probatis Historicis & aliis bonis Scriptoribus, item experientia, rem obscuram & multis quæstionibus involu-

tam, ut spero, tam perspicuè & dilucidè explicabo, ut studiosi & amantes veritatis divinæ, intellecturi sint quidnam de illis apparitionibus rebusque mirabilibus judicare debeant. Spero quòd etiam adversarii nostri, si affectus paulisper deponant, dicturi sint, me argumenta ipsorum bona fide adduxisse & confutasse, omussis convitiis & maledictis. Nam secundùm doctrinam D. Pauli, finem habeo mihi propositum Ædificationem, non Dissipationem.

Qui de hac materia scripserint.

De divinationibus, superstitionibus, adjurationibus, benedictionibus, præstigiis, incantationibus, & variis veneficiis, aliisque diaboli operibus in genere, nostro tempore aliquot doctissimi viri scripserunt, nempe Gasparus Peucerus, Joannes Viera, Ludovicus Milichius, & fortassis alii quoque, quorum labores nondum vidi. Joannes Rivius vir doctus & eloquens,

quens, ante annos aliquot Latina lingua libellum de Spectris & superstitione edidit, in quo breviter quidem, sed ut solet, eleganter admodum & facundè de hac materia aliisque superstitionibus tractat. Etsi verò ego de hac materia multò copiosius scribam, nolui tamen omnia illa quæ de hoc argumento dicere & afferre potuissem, colligere: sed quæ præcipua videntur, partim ne Lectoribus fastidium afferrem, partim ne hic liber nimium excresceret.

Spero clarissimum virum Joachimum Camerarium, qui veteres scriptores Græcos & Latinos singulari judicio evolvit, magnumque rerum usum habet, de hac materia, & aliis quæ cum hac affinitatem habent, ornatè & copiosè scripturum. Hoc enim in suo procœmio ad libellos Plutarchi, De defectu oraculorum, & figura E 1 consecrata Delphis (in quo de

natura & effectionibus dæmonum tractat) & in aliis ſuis ſcriptis videtur promittere. Ego hanc tractationem populari lingua ſcripſeram: jam verò, quia aliis quoque utilitatem allaturam confido, utrumque in Latinam linguam tranſtuli, hinc inde quibuſdam additis.

Dedicatio.

Hunc verò librum, quem ex multis ſcriptis magno labore & ſtudio collegi, tibi, clariſſime domine Conſul, more & inſtituto veteri offero & dedico. Non quòd tibi de his rebus, quæ in hoc libro tractantur, mea inſtitutione opus eſſe judicem (non enim ignoro quibus præceptoribus veram doctrinam didiceris: quodque peritus mu tarum linguarum, bonos autores evolveris, & hodie quoque evolvas) ſed partim ut huic meo libro apud alios, quibus tua fides pietas & conſtantia, quàm hactenus in propaganda vera doctrina defendendiſque bonis legibus oſtendiſti, atque etiamnum

oſten-

ostendis, cognita & perspecta est, autoritatem conciliarem : partim ut me aliquo modo tibi gratum præberem. Nam multa in me tibi de facie ignotum, aliosque Ecclearum m inistros t ua beneficia x-siant, quibus me tibi ita obstrinxisti, tut solvendo non sim.

Proinde etiam atque etiam rogo, ne hanc qualemcunque grati & benevoli animi significationem, respuas: sed aliqua ex parte liberatus à Reipublicæ negotiis & laboribus, hunc librum perlegere digneris: spero enim illum propter dilucidum ordinem, & multiplices historias quas recito, lectu tibi & aliis non injucundum fore.

Deus optimus maximus, qui suis dotibus te ita cumulavit, ut propter illas, licet juvenis adhuc, ad summos dignitatis in ampliſſima vestra republica gradus promotus sis, te una cum tuis ad conservationem ampliſſimæ, urbis & ditionis Bernensis diu Salvum

&

& incolumem tueri ſuiſque donis augere & locupletare dignetur.

Salutant te domini & fratres mei, miniſtri eccleſiæ Tigurinæ: item doctrina, virtute atque genere eccellens vir Georgius Grebelius vetus tuus contubernalis. Datæ Tiguri, menſe januario, anno a nativitate Chriſti 1570.

PRI-

PRIMA PARS HUJUS LIBRI DE SPECTRIS,

In qua oſtenditur ſpiritus & ſpectra apparere, variaque portenta accidere.

Cap. I.

De vocabulis quæ in materia de ſpectris & variis præſagitionibus ſæpe occurrunt.

QUæ ad vocabulorum & vocum proprietatem in hac de *ſpectris* materia pertinere videbuntur, initio breviter exponam ut qui in hoc

in hoc libro, & præcipuè in veteribus authoribus legendis occupantur, omnia melius intelligant.

Spectrum. *Spectrum* apud Latinos significat simulachrum seu imaginem oculis sese offerentem. *Scaliger* dicit, *Spectrum* esse quod se offert, aut verè aut corrupta imaginatione. Theologi accipiunt pro substantia incorporea, quæ conspecta vel audita, hominibus terrorem infert.

Visum. *Visum* significat *Spectrum sive speciem aliquam*, quam dormientes & etiam vigilantes videmur vidère: ut de *Bruto* legitur, qui Genium suum vidit. *Cicero l. 1. Acad. quæst. visum scribit phantasiam à Græcis dici.*

Visio. *Visiones* etiam Latini appellant, quod Græci *phantasias*.

Terriculamentum. *Terriculamenta* sunt *phantasmata* seu *Spectra* terrorem incutientia, terriculem etiam vocant Latini quod terrorem incutit.

Φάντασμα. Quòd *D. Matthæus* 14. *& Marcus* 6. *cap. φάντασμα* vocat, *Erasmus* convertit *Spectrum*. Vetus interpres Græcam vocem retinuit.

Φάσμα. *Φάσμα* quoque larvam, visum vel *Spectrum* significat. *Suidas* inter phantasma & phantasiam distinguit, quòd

phan-

phantaſma ſit *imaginatio*, ſpecies, vel viſio ejus quod non eſt, quales ſunt quas dormientes videre ſibi videntur: *phàntaſia* verò ejus ſolùm quod eſt.

Lucæ 24. *capite*, πνεῦμα *pro ſpiritu vel ſpectro accipitur*, additur tamen aliquid ferè, ſi pro malis ſpiritibus accipiatur, ut πνεύματα, πλείονα, πονηρά. Gentiles, teſte *Auguſtino* & aliis patribus, putarunt animas, hominum fieri dæmonas. quòd ſi bonorum fuiſſent meritorum, *Lares* appellari: ſi malorum, tum *Lemures*, tum *Larvas*. Quòd ſi incertum fuiſſet, bonorumne an malorum eſſent meritorum, tunc appellari *Manes*. Eoſdem fuiſſe *genios* & *lares Apulejus*, & alii vetrum memoriæ prodiderunt. Πνεῦμα.

Lares, *teſte Feſto*, animas putarunt eſſe hominum, vel deos inferiores. *Lares præſtites* dicti fuerunt, quòd omnia tuta præſtarent oculis ſuis: hoc eſt, conſervarent ac tuerentur. *Lares.* *Præſtites.*

Nominatos etiam dicunt *Hoſtilios*, quòd hoſtes arcere putarentur. Nec ſolùm privatarum ædium ac triviorum, ſed etiam urbis cuſtodiæ præeſſe credebantur. Colebantur item privatim in ædibus, & publicè in compitis. De *laribus* vide plura in Comment. *Hoſtilii.*

ment'. *Antonii Constantii Favensis*, in libr. Fastorum Ovidii.

Genius.

Genius, dicunt *Grammatici*, est naturalis Deus cujusque loci, vel rei, vel hominis. Quum nascimur duos nos fortiri *genios* scribunt, qnorum alter nobis hortator sit ad bona, alter verò ad mala. *Censorinus*, *Genius*, inquit, Deus est cujus in tutela ut quisque natus est vivit: sive etiam quòd ut generemur curat, sive quòd unà gignitur nobiscum: sive etiam quòd nos genitos suscipiat ac tueatur. Certè à gignendo *genius* appellatur.

Penates.

Penates quoque *domestici dii* sunt. *Macrobius* deos esse dicit per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. *Nonius*, inquit, *lemures* esse larvas nocturnas, & terrificationes imaginum & bestiarum. Alii dicunt *lemures* esse imagines noxias, quæ noctu appareant: etiam esse ita dictas fugillatorum umbras.

Umbræ.

Aliqui *umbras omnium mortuorum*, *lemures* appellant. *Apulejus* dicit, Ex *lemuribus* qui posteriorum suorom curam sortitus, pacato & quieto nomine domum possidet, lar dicitur familiaris. Et quoniam apud veteres sicut

lares

lares boni, ita *lemurs* mali habiti sunt, ad arcendum eos sacra fiebant.

Lemures alii *umbras* dicunt, quæ cum corporibus morantur. *Porphyrio* vocat *vagantes umbras* hominum ante diem mortuorum: à *Remo* dictas quasi *remures*, cujus umbræ insequutæ sint fratrem *Romulum*, quas quum placare vellet, *Lemuria* instituit. *Larvas umbras* vocari *Servius* dicit. *Umbras* verò vocarunt mortuorum animas. A *larvis* dicuntur larvati, id est malè sani, ac *larvarum* incursione animo vexati, qui & *Ceriti* vocantur, teste *Nonio*. *Lemures.*

Servius Manes dicit esse animas, eo tempore, quo de aliis recedentes corporibus, nondum in alia transierunt, per antiphrasin sic dictos existimat ab antiquo adjectivo manus, id est, bonus: quòd minimè essent boni. Putabant enim veteres *manes* esse *deos inferos*, eosque inter numina læva numerabant, placabantque eos sacrificiis ne nocerent. Quidam *manes* dicunt esse *deos inferos bonos*, inde mane, quod est bonum: dii manes, quasi boni & prosperi: unde immanes, non boni. Alii putant hoc nomine appellatas fuisse animas separatas à corporibus,

unde

unde videmus vetuſta ſepulchrorum monumenta inſcripta eſſe diis manibus. in qua ſententia *Apulejum* fuiſſe, paulò antè dixi. Sunt qui *manes* eoſdem putent quos veteres *genios* appellarunt, duoſque *manes* ab ipſa ſtatim conceptione aſſignatos fuiſſe corporibus, qui ne mortua quidem deſerant, conſumptiſque etiam corporibus ſepulchra inhabitent. Quare qui ſepulchra demoliebantur, *deos manes* violare putabantur. Augures tam ſuperos quàm inferos deos, manes dicebant, quod per eos omnia manare crederent, authore *Feſto*. Alii à manando, quod loca inter lunarem & terrenum circulum, unde defluant, animabus plena ſint.

Maniæ. *Maniæ* ſunt deformes prſonæ, authore *Feſto*. Item *larvæ*, quas nutrices pueris minitari ſolent.

Μορμώ mulier facie monſtroſa penè forma, lamia: hinc pro larva: ſicut & μορμολύκειον, *terriculamentum*, *Spectrum*, *larva*. *Nicephor.* in Eccleſiaſtica hiſtoria *fœminam nocturnam Gilo* vocari dicit.

Lamiæ. *Lamiæ* ab antiquis mulieres eſſe putabantur oculis exemptibilibus, vel dæmonum quædam phantaſmata, quæ for-

formosarum mulierum specie assumpta, pueros pariter & juvenes blanditiis allectos devorabant. *Philostratus* in *Apollonio* de quodam *Menippo* scribit mirabilem historiam, vel fabulam, qui adamatus fuerit à *lamia*. Idem scribit lamias à quibusdam *larvas* appellari, & *lemures*, à nonnullis *empusas*: nutrices pro infantum terriculamento nominare, &c. *Chrysostomus Dion* in intima *Africa* feras quasdam esse scribit muliebri facie, quæ & ipsæ *lamiæ* dicuntur: uberibus autem totoque pectore adeò specioso, ut nullo pictoris ingenio effingi queant, quibus retectis homines in fraudem alliciant, captosque devorent. *In Threnis Jerem. 4. cap. Lamiæ, dicitur, nudarunt mammas suas*, &c. *Lamias* puerorum terriculamenta esse *Apulejus* scribit.

Lamiæ etiam *Striges* vocantur. *Striges* aves inauspicatas esse dicunt, quæ infantium in cunis sanguinem sugant: hinc *maleficis mulieribus*, quas *Festus volaticas* quoque vocari scribit, volunt nomen esse inditum. *Striges.*

Gorgonis nomen ad puerilia terriculamenta confictum. *Gorgones* dicunt esse voraces, quales etiam *Lamiæ* finguntur. *Gorgones.*

Ephi-

Incubi. Succub. *Ephailtæ* & *hyphialtæ*, *Incubi* & *Succubi*, sunt *Spectra* nocturna vel dæmones insultores. Medici morbum esse dicunt.

Empusa. *Empusa*, phantasma dæmoniodes, seu *Spectrum* quod se infelicibus ingerit multifariamque mutat formam, & se meridie plurimùm ostentat. Plura apud *Suidam*.

Dicelon. Hecatæa, *Dicelon*, quod ad terrorem incutiendum immittitur: id genus terriculamenta à Græcis *Heccatæa* dici scribit *Apollonius*, quòd ab *Hecate* immittantur seu *Proserpina*, quæ inde etiam βεμὼ vocatur, ἀπὸ τῦ βεμῶν à terrendo, nimirum quòd terriculamenta nocturna ab ea immitti credebant.

Acco. Alphito. *Plutarchus* scribit, *Acco* & *Alphito* monstrosas fœminas fuisse, per quas matres pueros in officio continebant, & à peccando deterrebant.

Telchinnes *Cardanus* dæmones subterraneos qui fodientes ruina oppiimunt, *Telchinnes* vocat. Apud Græcos τελχῖνες vocantur homines malefici, afflati spiritu & furiosi.

Ad hunc ordinem pertinent monstra partim humanam, partim ferinam formam referentia, quæ in sylvis reperta dicunt, & sæpe agricolis apparuisse.

ruisse. Panes & *Faunos* idem esse dicunt, & in capræ pedes desinere. *Panes* *Fauni*

Satyros quoque humana ferè forma esse referunt: illos qui sunt adultioris ætatis, Silenos vocant. *Satyri.* *Sileni.*

Onocentaurus animal est monstrosum, quod à parte superiore, hominis speciem habere dicitur, ab inferiore, asini. *Onocentaurus.*

Onosceli apud *Plutarchum dæmones* sunt asininis cruribus. *Onosceli.*

Hippocentauros finxit antiquitas, superiori parte hominem, inferiore equum referentes. *Hippocentaurus.*

Sphingem animal fingunt esse ἀνθρωπόμορφον. *Sphinges.*

Scylla, *Harpyæ*, sunt rapaces dæmones vultu virgineo. *Scylla.* *Harpiæ.*

De hominibus marinis *Tritonibus*, *Nereidibus*, *Syrenibus*, quibus faciem humanam vetustas attribuit, vide *Gesnerum* in historia aquatilium suis locis. Marina monstra reperiri humanam formam utcunque referentia, ex multis authoribus probat. Horum monstrorum quædam ad simjarum genus pertinent, quædam fabulosa sunt: potest tamen sub illorum specie Diabolus nihilominus hominibus illudere. *Triton.* *Nereides.* *Syrenes.*

Hæc de vocabulis quibus in tractatione de spiritibus & Spectris utendum est.

Ostenta. His conjunxi ostenta vel præsagia quæ plerunque res magnas præcurrunt. Ideo autem his conjungo, quod magnam cum eis affinitatem habeant. Nam objiciuntur etiam quædam Spectra sensibus. Armati conspiciuntur in terra vel aëre: aliæ item imagines: audiuntur voces, strepitus, crepitus & alia id genus.

Portentum. Quod verò ipsa vocabula attinet, Portentum est quod portendit aliquid futurum, ut quum insolita corpora in aëre apparent, *cometæ*, sereno cœlo tonitrua, turbines. Portentum *Festus* dicit esse quod licet naturale sit, rarò tamen se ostendit, & futurum aliquid cum temporis intervallo denuntiat.

Ostentum. *Ostentum* res aliqua inusitata, quæ statim futurum aliquid ostendit. Eadem ponunt exempla.

Prodigium. *Prodigium*, quod etsi naturaliter fit ac sæpe evenit, semper tamen aliquid præsagit mali, quasi porrò agendum.

Monstrum. *Monstrum* est quod contra naturam fit, ut quum nascitur aliquid membris alterius generis: quod pro monstrum

etiam

etiam dicitur, quasi porro aliquid monstrans sive monens. Hæc tamen sæpe inter se confunduntur, & pro eodem significato accipiuntur: nimirum quòd eundem finem habent, nempe res futuras prædicere, vel significare.

Spectra de quibus nos agimus, nihil ad physicos pertinent, neque illa quæ his conjunximus. Nam si subitus fragor, sonitus, aut fremitus vel strepitus, tanquam tota domus ruat, & alia accidant naturalibus rationibus, ad hanc materiam propriè non pertinent. Cæterùm his præmissis, ad rem ipsam Deo duce & authore aggrediemur.

Cap. II.

Melancholici & furiosi, multa sibi imaginantur quæ revera non sunt.

COmplures fuerunt omnibus temporibus, qui negarunt Spiritus aut Spectra existere. *Epicurei* quæ de illis referuntur, omnia riserunt, & pro figmentis ludibriisque habuerunt, quibus pueri & imperiti atque simplices

Quidam ne ant Spectra esse.

plices homines terrerentur. *Cassium*, qui etiam *Epicureum* fuit, quum ex *Bruti* narratione intelligeret, quod Spectrum quoddam vidisset, teste *Plutarcho*, omnia ad naturales causas referre conabatur. *In Actis Apostol. cap.* 23. legitur *Sadducæos non credidisse futuram resurrectionem mortuorum: item negasse quòd Spiritus & Angeli existant.* Hodierno quoque die, multi pii & boni viri omnia illa quæ de Spectris ultro citroque dicuntur, fabularum loco habent, partim quòd toto vitæ tempore nulla eis apparuerunt: partim & præcipuè quòd superioribus aliquot seculis homines confictis apparitionibus, visionibus, & miraculis, à Monachis & sacrificulis toties deceepti sunt, ut nunc vera quoque pro falsis habeant. Quicquid sit, multis scriptorum testimoniis & quotidiana experientia probari potest, Spiritus & Spectra interdum apparere, multaque res mirandas revera accidere. Certum quidem est, multos sibi falsò persuadere, quòd videant vel audiant *Spectra*: id enim quod se videre, vel audire fingunt, ex melancholia, furore, sensuum imbecillitate, metu, aliisq; affectibus oritur: vel animalia, exhalationes, aliaque res

naturales videntes atque audientes fingunt sibi nescio quæ visa oblata fuisse, id quod deinceps multis & illustribus exemplis sigillatim ostendam. Minimè dubitandum est, quin omnia ferè illa, quæ vulgò *Spectra* esse putantur, nihil minus sint. Interim *Spectra* & multa alia hujus generis, aliquando cerni & audiri, nequaquam est negandum.

Melancholicorum variæ imaginationes.

Principio nemo inficiari potest, quin homines qui vel natura, vel propter acceptas ingentes calamitates, tristes sunt & melancholici, sibi ipsis res mirandas imaginentur. Interdum sanctè affirmant, se hæc vel illa audire & videre, quæ tamen neque ipsi, neque alii vel vident vel audiunt. Id quod in illis aliquando experimur qui magnis capitis doloribus afficiuntur, aliisque morbis corporis sunt obnoxii, qui pervigiles noctes ducunt, aut motæ mentis sunt. Qui cum hujusmodi hominibus degunt. etsi eorum infelicem conditionem miserentur, tamen sæpenumerò risum tenere non possunt, si ex ipsis tam absurdas fabulas, res inauditas, & visiones mirandas audiant. *Aristoteles scribit in libro suo de rebus mirandis*, de quodam mente capto, qui

in *Abydo* urbe *Asiæ* multis diebus se in theatrum conferens vacuum, sedebat, & non minus manuum complosione testabatur sibi omnia placere, quàm si comœdia vel tragœdia aliqua egregiè fuisset acta. Similem historiam describit *Horat. lib. 2. epistolarum* de quodam qui *Argis* in theatrum veniens, idem fecerit quod alter ille: cumque cognati ipsius, medicorum opera eum curassent, indignissimè tulerit, negans se unquam vixisse suavius, quàm quum mentis parum fuisset compos. *Athenæus scribit lib. 12. de* quodam *Thrasilao*, qui tam vitiato cerebro erat, ut putaret omnes naves quæ in *Piræum* portum appellebant, suas esse: recensebat eas, nautas solvere præcipiebat, redeuntibus non aliter gratulabatur, quàm si omnium rerum quibus onustæ erant, dominus esset. Is toto illo tempore quo mente captus fuerat, suavem vitam duxisse se ajebat, donec medicus ab hac insania ipsum liberasset.

Joannes Sertorius.

Vidi quendam nomine *Joannem Leonardum Sertorium*, cui viri honesti & graves, quibus familiariter notus fuit, testimonium perhibuerunt pietatis, qui persuasum habebat, se instar

instar *Heliæ miraculo cœlesti probare posse, quòd nostra Religio esset vera & Catholica.* Postulavit ab aliquot Rebuspublicis, ut convocarent Euangelicos & Papistas, se enim paratum esse hoc miraculum edere, & nisi omnibus videntibus ederet, nullum supplicii genus recusabat.

Eadem est aliorum quoque ratio qui mente capiuntur: vel quòd rem aliquam diu multumque in animo suo volutarunt, ut ingeniosis artificibus interdum accidere solet: vel quòd diuturno morbo laborarunt, vel quòd amoribus ardent, &c. Illi omnes mira tractant. Invenies aliquem, qui sibi videtur taurinis cornibus armatus esse alii sibi videntur vasa esse fictilia, ideoque loco cedunt, ne confringantur. de tali quodam scribit *Galenus lib. 3. de locis affectis 6. cap.* & item *lib 4. cap.* 1. Alii se credunt mortuos, alii sibi videntur magni principes, alii viri eruditi, alii Prophetæ & Apostoli, deque rebus futuris vaticinari conantur. Idem scribit *de Phreneticis in libro de sympt. diff. cap.* 3. de *Theophilo* quodam medico, cui reliqua prudentia supererat, & disputandi & præsentes exactè noscendi: cæterum tibici-

Vide Lud. Cœlium l. 17. antiquitatum cap. 24.

nes quosdam Angulum domus ubi decubuit occupasse assidueque sonare, tum pulsare putabat, atque hos se intueri rebatur, partim illic stantes, partim sedentes, adeoque sine intermissione sonantes, ut neque noctu neque interdiu usquam vel minimum tempus quiescerent: exclamare igitur non cessabat, ac jubere ut domo ejicerentur. Idem postquam planè convaluit, tum reliqua omnia quæ quisque dixisset fecissetve narrabat, tum imaginationis de tibicinum tædio meminerat.

Lycantropia.

Paulus Æginetа scribit lib. 3. cap. 15. quòd *Lycantropia* (insaniæ genus est) correpti per noctem domo exilientes, lupos per omnia imitentur, & quoad diluceſcat circa defunctorum monumenta plerunque versentur. Alias quoque Satan hostis humani generis, homines decipit, ut sibi videantur esse bestiæ. De qua re legitur apud *Augusſt. Geneſ. ad literam 7. cap. 11.* Morsi à rabidis canibus aquas formidant: hunc effectum *Hydrophobiam* appellant. de quo *Æginetа lib. 5. cap. 3.* tradit, quòd hoc malo laborantes, fugiant aquam intuentes, admotique: alii humorem prorsus omnem aversen-

Hydrophobia.

tur.

tur. Esse qui canum instar latratus edant; & intervenientes morsu impetant. Rufus timoris causam ostendens, canis à quibus demorsi sunt Spectrum in aquis cernere ipsos opinari dicit.

Ephialtes, quem *Incubonem* vocant, morbus est ventriculi, de quo consule *Paulum Æginetam lib. 3. cap. 16.* Multi verò qui eo corripiuntur credunt se opprimi ab homine prægrandi, qui os manibus vehementer ipsis comprimat ne exclamare queant; brachia & crura movent, ut illum à se depellant, sed frustra. Quidam inani phantasia ducti, credunt illum à quo opprimuntur, paulatim & quasi ex insidiis per lectum ascendere: mox iterum descendere: videntur sibi eum etiam audire. Alio nomine hic morbus πνιγαλίων & πνιγμὸς dicitur. *Ephialtes incubus.*

Furiosi qui usum rationis penitus amiserunt, aut permissu Dei à cacodæmone vexantur, quos Euangelica historia δαιμονιζομένους vocat, mira agunt, de multis visionibus loquuntur, rebusque variis, fallit eos visus ut unum pro alio intueantur: id quod in Prochodochiis experimur, in quibus furiosi & maniaci custodiuntur. *Ajax* *Furiosi*

legitur tam graviter tulisse quòd *Ulyssi* arma *Achillis* adjudicata fuerunt, ut præ dolore in amentiam versus, evaginato gladio in gregem porcorum insilierit, existimans sese cum Græcorum copiis confligere. Tum duos majores porcos à trabibus suspensos flagris cecidisse, additis convitiis: existimans hos esse Agamemnonem & *Ulyssem*, quorum illi ut judici, huic ut victori potissimum irascebatur. Postea sibi restitutus pudore manus sibi intulit. In præliis sæpe factum est, ut militibus ad insaniam redactis extorquenda fuerint arma, eò quòd suos hostium loco haberent, & in eos impetum facere conarentur. *Tertull.* dicit, Qui insaniunt; alios in aliis vident, ut *Orestes* matrem in sorore, *Ajax Ulyssem* in armento, *Athamas & Agave* in filiis bestias, &c.

CAP. III.

Meticulosi homines fingunt se Spectra videre & audire.

Imaginatio quem ladit.

QUæ de insanis, melancholicis & furiosis dicta sunt, de meticulosis quoque possunt intelligi. Etenim

nim si quis natura meticulosus est, vel propter ingentia pericula, vel alias causas metu percellitur, etiam multas res mirandas sibi imaginatur, quæ revera non sunt: præcipuè si quid atræ bilis accedat. Mulieres quæ plerumque natura meticulosiores sunt viris (hinc *D. Petrus, cùm de officio conjugum loquitur, in priore Epistola, eas vas imbecillius vocat*) frequentius sibi persuadent quàm viri, se hæc & illa vidisse vel audivisse. Juniores item, quia plerunque sibi metuunt. Si immensa aliqua mentio fiat spectrorum & lemurum, mulieres & pueri aliquando vix soli audent egredi ex conclavi, metuentes ne quid eis occurrat: si strepitum aliquem audiant, putant *Spectra* sibi à tergo esse, propter vanam persuasionem. Ignavus miles, putat hostiles copias numerosiores esse, quàm sint: strepitus folii quod movetur, (id quod Dominus in Lege sua Populo Israëlis, nisi officium fecerint, comminatur:) ita territat eum, ut se in pedes conjiciat. Si vel picum arborem rostro tundentem audiat, existimat hostem cervicibus imminere: si vel mus se moveat, statim animum despondet. Fortem verò & animosum mili-

tem hæc & alia nihil perturbant. Interdum verò in fuga etiam fortes milites, à ſuis dilapſi, ita perturbantur animo, ut amicos hoſtium loco habeant, nec ſciant ubi terrarum degant, & quonam ſe vertant: quæ omnia metus efficit.

Plutarchus ſcribit in libello ſuo de ſera numinis vindicta, mirabilem & memorabilem hiſtoriam de *Beſſo quodam. Is quum patrem interfeciſſet, delituit longo tempore. at quum aliquando cœnatum iret, nidum hirundinum haſta impellens deturbavit. Quumque cœnantes hanc ejus crudelitatem deteſtarentur (averſamur enim illos qui aviculas & alia animantia divexant, exiſtimantes eos ſævos & crudeles eſſe) Nonne, reſpondit, jamdiu falſum teſtimonium adverſus me ferunt, clamantes me patrem meum interfeciſſe? Præſentes admiratione ducti, hæc verba ad Regem detulerunt, qui tormentis eum ſubjecit, reque diligenter diſcuſſa, parricidii pœnas de eo ſumpſit.* Hinc colligis quid metus poſſit: hirundines loqui non poterant, tamen ille ſibi perſuaſit quòd parricidium ſibi exprobrarint. Ita multi ex metu imaginantur ſe videre & audire multa, quum ſint

meræ

meræ nugæ.

Procopius in belli Italici principio tradit, Theodorico cœnanti, post occisos egregios viros Boëthium & Symmachum socerum hujus, quum esset caput piscis oblatum, horrendam in illo visam *Symmachi* faciem, quæ labro inferiore mordicus apprehenso, sibi torvis oculis minaretur, ideoque Regem pavore consternatum, in morbum incidisse, ex quo postea obierit.

Theodoricus Rex putat se Symmachum videre.

Quin metus si immodicus sit, efficit ut illa quæ nobis consolationem afferre debebant, horrescamus. Exemplo nobis sunt ipsi *Apostoli domini nostri Jesu Christi Matth. 14. cap. qui cum noctu in lacu maximo in periculo versarentur, valde consternati sunt videntes Christum aquæ inambulantem sibi appropinquare. putabant enim se videre Spectrum, & præ metu clamabant. Dominus verò veniebat ut eo ex præsenti periculo liberaret.* Post resurrectionem, quando vero suo corpore eis apparebat, valdè territi sunt, &, ut *Lucas scribit, putabant se spiritum videre. Dominus itaque consolatur & erigit ipsos, dicens. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & videte: quia spiritus car-*

rem & ossa non habet, sicut me videtis habere: illi præ gaudio credere non poterant & mirabantur. Hoc loco vides pavore factum esse, ut discipuli dominum ipsum, Spectrum esse putaverint. Mirari itaque nemo debet, si nos quoque metu impediti, unum pro altero habeamus, nobisque persuadeamus quod spiritus viderimus, ubi nulli fuerunt.

Fortibus & animosis rarò Spectra apparent.

Qui forti & excelso animo sunt, & ab omni metu vacui, rarò vident Spectra. De *Scythis* gente montana & bellicosa (à quibus *Turcæ* suam originem ducere creduntur) traditur, quòd eis nulla *Spectra* appareant. Leones memorant larvis non terreri: sunt enim animosi & impavidi.

CAP. IV.

Qui imbecillo visu sunt & auditu, sibi imaginantur multa quæ revera non sunt.

QUi visu sunt imbecilli, etiam sæpenumero ita falluntur, ut unum pro alio aspiciant. Luscioſi, à Græcis μύωπες dicti, qui rem aliquam nisi propiùs oculis admotam non vident,

(qua-

(quales ferè sunt studiosi bonarum artium, qui diurna & nocturna manu libros versant) tantùm falluntur visu, ut ipsos sæpe pudeat dicere quid se vidisse putarint. Physica etiam ratione fit, ut remus in aqua fractus putetur: & turris quadrangula de longinquo, rotunda.

Qui immodicè vinum bibunt, ita ut oculi eorum caligare incipiant, & ex capite prominere, instar leporum quos de pertica suspensos per milliare unum & alterum gestavimus, longè alia vident quàm sobrii. Putant se videre geminas lucernas positas in mensa, quum unica tantùm sit: poculum accipere volentes, aberrant. *Pentheus in Bacchis Euripidis* dicit se duos soles videre, binas item *Thebas*. cerebrum enim ipsius perturbatum erat. Vulgare illud est, ut si vinum vicit, omnia inverti videantur arbores ambulare, montes moveri, fluvii sursum ferri, &c. *Ebrii mira vident.*

Solomon in Proverbiis suis capite 23. omnes dehortatur ab ebrietate, adjiciens quæ incommoda ex ea nascantur, & inter alia dicit, *Oculi tui videbunt extraneas, nempe visiones, & mirabiles apparitiones.* Nam ut meticulosi-

culosi sibi mirabilia imaginantur, ita etiam ebrii, qui visum suum dedita opera corrumpunt.

Et quanquam Deus in aëre, & in terris, multa prodigia edat, ut hominibus socordiam excutiat, eosque ad veram pœnitentiam provocet: nihilominus tamen credendum est homines ebrios, qui in multam noctem ad mensam desident, non raro dicere sibi hanc vel illam visionem objectam esse, se hoc vel illud prodigium vidisse, quum prorsus fallantur. Etenim si tempestivè, ut decebat, domum rediissent, neque vino se oneràssent, nihil illius generis eis apparuisset. Oculi enim ipsorum non fuissent corrupti. Nonne fit, ut quum aliqui mero incaluerunt, unum pro alio aspiciant, à quo sibi læsi videntur verbis vel factis, & statim arreptis armis impetum in eos faciant? Locus *Salomonis* jam adductus etiam hunc sensum potest habere: *Oculi tui videbunt extraneas, nempe mulieres, nimirum ad concupiscendum eas.* Experientia enim docet, ebrios sæpenumerò matronas & virgines de stupro compellare, quod sobriis ne in mentem quidem veniret. Vinum immodicè sumptum, fomes est audaciæ

ciæ atque libidinis.

Aristoteles scribit quosdam propter oculorum imbecilles spiritus, in aëre proximo (nimirum ut in speculo) suam quandam imaginem contemplantes, existimare sese suos vidisse manes: atque ita suam, quod dici solet, umbram metuunt Nonne homines, etsi in locis obscuris videre nihil possunt, tamen sibi imaginantur, quòd varia simulachra & colores videant? illa ipsa quæ cernimus, imaginamur nobis longè alia esse quàm sunt. *Quidam videns seipsos.*

Notum est oculorum aciem ita posse perstringi, ut omnino putemus aliquem gladium vorare, expuere pecuniam, carbones & alia: aliquem vesci pane, & expuere farinam: aliquem bibere vinum, quod postea ex fronte profluat: unum alteri caput abscindere, quod postea in suum locum restituat, gallum gallinaceum trahere ingentem trabem, &c.

Adhæc rebus naturalibus, ut suffimigationibus, & aliis effici potest, ut sanctè affirmares, omnes quotquot ad mensam sedent carere capitibus, vitem se extendere per conclave, quum mera sit impostura. Hac de re libri publicè extant.

Eadem

Eadem est ratio auditus aliorumque sensuum Illi quorum auditus vitiatus est, videntur sibi interdum audire vehementem ventum, violentam tempestatem, crepitum flammarum, fluviorum subitò auctorum strepitum, cantum & instrumenta musica, campanarum tinnitum, quum hæc & alia tantùm auditus vitio fiant. Alii qui cum illis versantur, & integro sunt auditu, nihil penitus illarum rerum audiunt.

Aliquando auditur aliquid revera, ut crepitus parietum ligneorum & alia, quæ sunt signa physica tempestatis secuturæ. Loca etiam sunt cava è quibus spiritus emittitur, qui per fistulas sonũ suavem reddit, veluti cantũ, ut homines in admirationem trahat.

Tactus fallitur.

In litoribus quoque modicè curvis, idem fieri apud Physicos legimus Fallitur etiam auditus, ut quum putamus nos audire tonitrua, quũ sit plaustrum.

Sunt qui putent se aliquid contrectasse, & fallantur. Febri laborantes si bibant vinum optimum, & dulcissimum, putant felle amarius esse: si bonis jusculis vescantur, putant insipida esse. Id verò non fit vitio coqui, sed palati & stomachi morbo corrupti. Nam quibus bilis redundat, illis ama-

ra

ra videntur omnia. Ita fit ut quis putet se *Spectra* videre, audire, palpare, vel se ab eis palpari: quum res secus habeat, quod tamẽ illi nemo facilè persuaserit.

Si metus & imbecillitas visus, aliorũque sensuũ concurrant, multa homines statim mirabilia sibi fingunt, etiã falcissima firmiter credunt, neque possunt à sua sententia ullis rationibus dimoveri. *Imbecillitas visus & metus.*

Legimus non singulos tantùm homines, sed aliquando totos exercitus ita deceptos fuisse, ut putarint hostes sibi imminere, quum nemo adesset. Hinc horribiles aliquando fugæ factæ sunt.

Comminæus vir equestris ordinis, diligens historicus, in fine libri primi de rebus gestis Ludovici XI. Galliarum Regis scribit Carolum Ducem Burgundiæ & alios principes, quum exercitum ad Lutetiam admovissent, per indicium cognovisse, quòd Rex postero die cum omnibus suis copiis eos adoriri constituisset: sequente die Carolum præmisisse equites speculandi causa: qui quum cœlum obscurius esset, putarunt se eminus videre ingentem numerum hastarum: progressos longius, cœlo jam sereniore, cognovisse eum locum, in quo arbitrati erant regem copias omnes atque vires habere coactas, consitum esse præ aliis

carduis, qui ex longinquo hastarum speciem præbebant. Nox enim fallit homines. Non itaque mirum cuiquam videri debet; si quando iter facientes, vel appetente, vel intempesta nocte, lapides, truncos, arbusta, & alia pro *Spectris & lemuribus* habeant.

In posteriore libro Regum legimus cap. 3. Moabitas post obitum Achabi regis, à Joramo ejus filio defeciſſe: quam ob causam ille Josaphatum solicitavit deferendo sibi auxilio, omnibusque suis copiis bellum Moabitis inferre constituit, ut eos ad obedientiam reduceret. His auditis Moabitæ omnes quotquot arma ferre poterant, excitarunt ut seſe defenderent. Cùm autem Moabitæ summo mane contra hostes exirent, & orto sole aquas, quas Deus miraculo eduxerat, putarent rubras esse, dixerunt: Reges inter se commissi sunt, & mutuis vulneribus ceciderunt. Cumque accurrerent, nullo ordine, ad diripiendum Israëlitarum castra, ab ipsis ex inopinato cæsi sunt. Hoc loco vides totum exercitum, aquas pro sanguine habuisse.

CAP.

Cap. V.

Multi terrent alios, ut puteni se Spectra vidisse vel audivisse.

ADhæc sæpenumerò accidit, ut non solùm homines faceti, sed & malitiosi mutato habitu aliis terrorem incutiant. Vulgare hoc est apud nonnullos, ut aliquis certo anni tempore, reticulo aut persona adducta capiti, filios exterreat, quò assiduè laborent, & parentibus morigeros sese præbeant: postea eis dicunt, empusas, lamias & mormolycias conspici: illis *Lamiæ.* persuasissimum est rem ita habere, & plerunque miserè sibi metuunt. Cæterum non semper conducit, pueros ita terrere: aliquando enim ex metu in morbos graves incidunt, & noctu dormientes clamant. *Solomon pueros si officium suum negligant, virga castigandos esse docet, & ita metum illis incutiendum*: non dicit persuadendum illis, quòd vorandi sint ab empusis, fœmina nocturna, aut aliis monstris.

Interdum juvenes hilares & jocosi vestes induunt quibus Diabolos referant,

rant, vel alioqui linteaminibus sese involvunt, ad alios terrendum. In quos si simplices homines incidunt, non dubitant quin malos spiritus aut Spectra quædam conspexerint. Non tamen semper tutum est alios hujusmodi jocis & ludis fallere: quam enim malè hoc multis ceciderit, exemplis ostendi posset. Usitatum est, ut juvenes jocosi unà iter facientes, noctu in diversoriis, funem alligent spondæ, vel stragulæ vesti, vel sub spondam se abscondant, seque *Spectrum umbram* esse simulantes, alios ludificent. Accidit apud nos *Tiguri*, ut juvenes hilares, mutato habitu in campo Ecclesiastico choreas duxerint, & unus ex illis ossibus pheretrii instar tympani pulsarit. Quidam his visis mox per totam urbem divulgarunt, se mortuorum choream vidisse, periculumque esse ne maxima pestis mox subsequutura sit.

Chorea lemurum.

Ad hæc omnes norunt, scorta & scortatores sub hoc prætextu interdum longo tempore rebus Venereis operam dedisse, & domesticis persuasisse, lemures in domo vagari, ne ipsi ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendi possent, sed optatis amoribus fruerentur. Non semel tales spiritus à magistratibus comprehensi,

& pu-

& publica infamia affecti sunt. Fures quoque sub hoc prætextu sæpe nocturno tempore alios expilarunt, qui quum putarent se audire Spectra, fures illos non abegerunt.

De hoc jam nihil dicam quòd malus spiritus per res naturales, quarum mirandas virtutes novit, mira efficere, hominumque sensus fallere potest.

Cap. VI.

Sacrifici & monachi simularunt se spiritus esse: quomodo Mundus sub hoc prætextu Paulinam, Tyrannus multas nobiles & honestas matronas stuprarit.

His accedit quòd omnibus seculis aliqui sacerdotes extiterunt, qui res miras exercentes, & magicis artibus operam dantes, stultos homines, qui illos maximi fecerunt, variis modis dementarunt, ut magnam vim argenti colligerent & voluptatibus indulgerent. Hac de re aliquot historias, ut homines pii cautiores evadant, subjiciam.

Josephus Historicus lib. 18. antiquit. cap. 4. magnum facinus recitat. *In veter. transl. 18. c. 7.*

quod

quod tempore *Tyberii Cæsaris Romæ* sub prætextu sacrorum *Isidis* accidit. Recitabo historiam ex interpretatione *Gelenii viri doctissimi. Erat Romæ Paulina mulier, non minus probitate morum, quàm natalium claritate illustris: adhæc opulenta & formosa, ut quæ esset in ipso ætatis flore, sed imprimis ornata pudicitia. Nupta autem erat Saturnino viro tali conjuge dignissimo. Hujus amore captus est Decius Mundus, juvenis non obscurus in equestri ordine: & quoniam major erat fœmina, quàm quæ posset corrumpi muneribus eò magis accendebatur amantis insania, ita ut offerret ei pro unica nocte ducenta drachmarum millia.* (*Drachma Attica & denarius Romanus vulgò putantur idem esse: & octo cruciatis Budæus æstimat. faceret igitur hæc summa circiter 2600. florenos secundùm ejus æstimationem*) *ac ne sic quidem valens eam flectere, non ferens amoris impotentiam, decrevit vitam simul & amorem finire inedia. Hoc ejus propositum non fefellit Iden libertam Mundi paternam variis instructam sed non probatis artibus, quæ indignè ferens obstinationem juvenis, blanda oratione conventum animare conata est,*

spem

spem faciens effecturam se, ut potiatur Paulinæ complexibus. Cumque ille preces ejus libenter acciperet, ait sibi opus quinquaginta tantùm drachmarum millibus ad expugnandam mulieris pudicitiam. Ita refocillato juvene, & accepta quantam petierat pecunia novam doli viam ingressa est, videns Paulinam non capi pecuniis. Sciens porrò eam vehementer addictam Isidis cultui, tale quiddam comminiscitur. Conventis aliquot ex ejus sacerdotibus, accepta fide silentii, & quod efficacissimum est, ostentato præmio, in præsens viginti quinque millibus, & alteris totidem post navatam operam, indicat eis amorem juvenis, rogans ut omnibus modis anniterentur eum reddere voti compotem. Illi auri cupidine tacti, benignè sunt polliciti: quorum natu maximus properè se ad Paulinam contulit, & admissus impetratoque absque arbitris colloquio, venire se ait missum ab Anubide (Anubis canino capite unà cum Iside colebatur) capto ipsius forma, & jubente ut ad se veniat. Illa libenti animo accepit nuntium: moxque jactabat se apud familiariter notas mulieres, quòd dignata sit amore Anubidis: marito quoque indicat conditam sibi cœnam & cubile Anubidis:

(per pulvinaria apud scriptores quidam intelligunt lectulos qui sternebantur in templis in honorum Deorum.) Idcò faciliùs concessu est, quod cognita & probata viro esset conjugis pudicitia. Itaque in templum proficiscitur, & post cœnam instante somni tempore, ineluſa per sacerdotem, tenebris conciliantibus in latentem ibi Mundum incidit: totamque eam noctem obsequuta est juveni, Deo se gratificante existimans. Eo deinde abeunte, priusquam sacerdotes doli conscii surgerent, Paulina manè ad maritum reversa, congressum cum Anubide prædicat, & idem apud amicas quoque magnificis verbis exaggerat. Illis nec credere libebat rei naturam considerantibus, non mirari tamen non poterant, ob insignem mulieris pudicitiam.

Die deinde post rem patratam tertia, Mundus adamatæ forte fortunâ obvius: ô factum bene Paulina, inquit, quòd & CCIↃↃ. mihi servasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & moremnihilominus meæ voluntati gessisti. nihil enim mea refert, quòd Mundum contempsisti, quandoquidem prætextu Anubidis optata voluptate explctus sum: atque his dictis abiit. At mulier tum primum deprehenso flagitio, vestem sibi lacerat, & rei-

re tota ad maritum delata, obsecrat ne tam insigne ludibrium impunitum sinat. maritus porrò imperatori totum significat. Tyberius postquam accuratissima inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, unaque Iden inventricem hujus sceleris, cujus præcipua opera fuit in corrumpenda pudicitia mulieris: dirutoque templo statuam Isidis jussit mergi in Tyberim. Mundum autem mitiore pœna exilii castigasse contentus est, crimen ejus in cupidinis impotentiam referens.

Ex hac historia promptum est colligere, quomodo Satan Gentiles fascinarit: & quomodo sacrifici ipsorum persuaserint illis quòd diis apparentes, hæc vel illa dixerint, quæ tamen falsissima fuerunt: sub cultus Deorum prætextu, rebus pessimis vacarint. Quoties enim putabimus eos turpissima perpetrasse, quanvis res non fuerit in apertum producta? Quòd si illi effecerunt ut *Mundus* optatis amoribus potiri posset, non est dubitandum quin sæpissimè ipsi quoque sub prætextu sacrorum, aliorum filias & uxores constuprarint: alioqui hic dolus non tam statim eis in mentum veniisset. Hæc matrona non fuisset

cam bene contenta, nisi idem antè cum aliis matronis factum fuisset: neque matitus ipsius permisisset eam in templo pernoctare. Quid opus erat deos lectisternia in templis habere, quum certum sit eos in illis non jacuisse? Discunt etiam principes exemplo *Tyberii* quantumvis scelerati tyranni, quomodo tales nebulones coërcendi sint.

De tyranno sacerdote.

Huc facit historia quam *Ruffinus presbyter Aquilienſis in Ecclesiasticæ histor. lib. 11. cap. 25. describit, Sacerdos erat apud Alexandrinos (in Ægypto) Saturni, Tyrannus nomine. Hic quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusque & primariis viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat Saturnum præcepisse, ut uxor sua pernoctaret in templo. Tum is qui audierat, gaudens quod uxor sua, dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius, insuper & donariis onustam (ne vacua scilicet repudiaretur) conjugem mittebat ad templum. In conspectu omnium, conclusa intrinsecus matrona, Tyrannus clausis januis & traditis clavibus discedebat. Deinde facto silentio per occultos & subterraneos aditus, intra ipsum*

Saturni

Saturni simulachrum patulis erepebat cavernis. Erat autem simulachrum illud a tergo exesum & parieti diligenter annexum. Ardentibusque intra ædem luminibus, intentæ supplicantique mulieri vocem subitò per simulachrum æris concavi proferebat, ita ut pavore & gaudio infelix mulier trepidaret, quòd dignam se tanti numinis alloquio putaret. Postquam verò quæ libitum fuerat, vel ad consternationem majorem, vel ad libidinis incitamentum diffseruisset numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repentè lumina extinguebantur universa. Tum descendens obstupefactæ & consternatæ mulierculæ adulterii fucum prophanis commentationibus inferebat. Hæc cum per omnes miserorum matronas multò jam tempore gererentur, accidit quandam pudicæ mentis fœminam horruisse facinus, & attentius designantem cognovisse vocem Tyranni, ac domum regressam, viro de fraude sceleris indicasse. Ille de injuria conjugis, imò potius sua ardentius inflammatus, inscriptum Tyrannum ad tormenta deducit. Quo convicto atque confessò, cæterisque fraudibus revelatis pudor omnis & dedecus Paganorum pervaseras

domos, adulteris Matribus, incestis Patribus, liberis spuriis deprehensis. Quibus divulgatis & proditis, raptim cum simulachris & ædibus excindebantur & crimina. De Numa Pompilio legitur quòd simularit congressus eum Ægeria nympha, ut suis legibus authoritatem conciliaret.

CAP. VII.

Timotheus Ælurus se Angelum mentitus, episcopatum invasit: quatuor monachi ordinis Prædicatorū Bernæ multas apparitiones finxerunt.

FErri aliquomodo posset, si hæc apud gentiles duntaxat accidissent, qui caruerunt verbo Dei, nisi inter Christianos quoque similia sæpe eveniſſe compertum haberemus, & ni metuendum esset, hodie quoque multa hujusmodi accidere. Lippis enim & tonsoribus notum est multos præsertim ex Monachis & sacrificulis magos, excantatores & necromantios fuisse, qui & Spectra multa, miracula, & animarum colloquia fingere potuerunt.

Theodorus Lector, collectaneorum

ex

ex historia Ecclesiastica lib. 1. scribit de Timotheo Æluro quod antequam occideretur Proterius Alexandrinus Episcopus, ad Episcopatum aspirans, noctu nigra veste indutus obierit cellas Monachorum: & singulos nominatim appellando, respondentibus dixerit, se ministerium Dei spiritum monere, ut à *Proterio* omnes sejuncti *Timotheo* se conjungant, hisque dolis & fraudibus Episcopatum adeptum magnas turbas movisse in Ecclesia.

Hoc loco non possum mihi temperare quin paucis, quantum ad præsens negotium pertinet, recitem memorabilem historiam de *quatuor Monachis prædicatorii ordinis (qui Bernæ Helvetiorum, anno à nativitate Domini* MD IX. *ultimo die mensis Maij* cremati sunt) quibus artibus simplicem quendam fraterculum, quem recens in suum Monasterium susceperant, circumvenerint: qua de re illo ipso tempore, quo hæc facta sunt, multi libelli Latina & Germanica lingua prodierunt, qui adhuc extant, Magna erat concertatio inter Monachos ordinis Prædicatorum & fratres Minores, vel Franciscanos, de *conceptione Mariæ virginis, Prædicatores* asserebant ipsam

ut & alios homines, in peccato originali conceptam esse. *Franciscani* id negabant & pernegabant. Tandem res eò recidit, ut *Prædicatores* falsis miraculis suam opinionem stabiliendam & confirmandam sibi proponerent deliberatione facto in quadam synodo (capitulum ipsi vocant) *Vimpenii* oppido Germaniæ habita, ubi commodus & opportunus ad hanc rem locus inveniri posset: tandem *Bernam Helvetiorum*, quòd gens simplex ibi esset & bellicosa, sibi delegerunt, Quatuor igitur primarii ordinis in Monasterio Prædicatorum *Bernæ* telam ordiebantur: & quoniam Supprior, unus ex his quatuor, artis magicæ peritus erat, adjurabat cacodæmonem, ut unà cum ipsis consilium iniret, quo pacto rem commodè possent conficere. Is specie *Æthiopis* apparens, omnem suam illis operam hac conditione promittebat, si sese illi dederent: id quod non gravatè fecerunt, datis ei chirographis proprio sanguine conscriptis. Opportunè autem accidit ut illis ipsis diebus *Joannes Iezerus* homo simplex, artificio sarctor, in ordinem ipsorum cooptaretur, qui propositio ipsorum commodus videbatur. tentabant ipsum jacien-



facientes lapides in ejus cubiculum, nocturno tempore, excitantes strepitum, simulantesque se spiritus esse.

Res ab initio non malè eis cessura videbatur. Die quodam veneris *Suprior* involvens se linteo unà cum aliis spiritibus, quos ad hoc magicis artibus evocaverat, irrumpebat in cellam fraterculi illius, magno impetu & fragore, simulans se opem ab eo multis cum lacrymis petere. Aquam verò lustralem & reliquias sanctorum illi jam antè in cellam illius reposuerant. Frater ille exterritus, negabat se opem illi posse ferre, commendans ipsum servatori *Christo* & *matri* ipsius. Spiritus respondit in ipsius & fratrum facultate positum esse, ut his malis liberetur, si per octiduum singulis diebus ad sanguinem usque seipsum flagellaret, & octo missas in sacello *D. Joannis* celebrari in ipsius gratiam curaret, & interea dum celebrarentur, brachiis extensis humi jaceret. Significabat illi, quod sequente die Veneris vel feria sexta ante intempestam noctem maximo impetu rediturus esset, monens ipsum ne consternaretur: Diabolos enim ipsi, quippe sancto viro, nihil posse obesse. Stolidus ille postero die ipsis coryphæis rem

omnem detexit: obsecrans ut sibi adessent, quò misera illa animula posset liberari.

Res statim per totum oppidum divulgata est. publicè pro suggestu illis de rebus sermones à Monachis habiti sunt: laudabant sanctitatem Ordinis sui, quæ vel ex hoc perspici posset, quòd spiritus ille ab ipsis non ab impiis & temulentis *Franciscanis* opem expeteret, Tempore constituto rediit spiritus ille comitatus aliis malis spiritibus, magno tumultu in fratris cellam, qui adjurans ipsum de quibusdam rebus interrogabat. Spiritus narrabat quisnam esset, & quas ob causas tam miserè vexaretur. Gratias agebat cùm ipsi, tum patribus ipsius, quòd ejus cura tangerentur, adjiciens. Si adhuc missas triginta, quatuor vigilias celebrarent, & ipse adhuc semel ad sanguinem usque virgis seipsum castigaret, se ex maximis cruciatibus, quos *annis* 160. jam continuatis pertulisset, prorsus liberandum esse. De rebus quoque aliis mirandis cum eo conferebat, quas nihil attinet hoc loco referre. Postea spiritus ille iterum Fratri apparuit, & ordinem Prædicatorum aliis omnibus antetulit, signi-

significans multos ex illis qui huic ordini adversati fuissent, in purgatorio atroces pœnas luere. *Bernam* quoque funditus evertendam nisi *Franciscanos* ejiceret, & ab annuis pensionibus quas à *Rege Galliæ* accipiebant, sibi deinceps caverent. Quædam etiam commemorabat quæ Fratri evenissent quæ omnia ab ipso per Confessionem auricularem expiscati fuerant. Gratias simul agebat fratri, pro beneficio liberationis, significans ei quod in septimum Angelorum Chorum receptus esset, ibi missas celebraturum pro benefactoribus suis. Postea alia quadam nocte, alius habitu muliebri veniens, dicebat se *Barbaram* esse, cujus cultui addictus fuisset, & significabat appariturum ei divam Virginem, atque ad quæstiones illas responsuram quas unus ex Monachis ei in scheda quadam conscripserat. Hæc *Barbara* promittebat se *Mariæ Virgini* daturam schedam illam, quam mox postea mirabiliter signatam in loco quodam sacro reperturi essent. Frater suis patribus rem omnem detexit, confiteri volens peccata sua, ut apparitione divæ Virginis dignus efficeretur: jubebat eos schedam in loco sacro quærerere: tandem in-

venerunt eam in ciborio, ut vocant, ubi eam antea repoſuerant. Ferebant eam in ſummum altare dicentes ſignatam eſſe Chriſti ſanguine, & lucernas ſua ſponte accenſas fuiſſe. Matutino tempore apparebat *Maria* Fratri, multa referens quam filius ejus Jeſus eam juſſiſſet illi recitare: nempe *Julium Papam* ſanctum illum virum eſſe qui duos Ordines inter ſe conciliare & feſtum pollutæ conceptionis Mariæ inſtituere deberet. Se enim Papæ illi, crucem quatuor guttis ſanguinis filii ſui ſignatam miſſuram, in teſtimonium quod in peccato originali concepta ſit: aliam crucem quinque guttis ſanguinis ſignatam reperiendam in ciborio, quam Romam mittere debeant. Pontificem enim largis indulgentiis eam confirmaturum, & Bernam remiſſurum; & alia hujus generis, de quibus multa ultro citroque dicebantur & ſcribebantur.

Maria illa in teſtimonium prædictarum rerum clavum ferreum adegit per manum Fratris, dicens. Hoc vulnus, die quo filius meus crucifixus eſt, & in feſto corporis filii mei renovabitur. Deinde incauſticam aquam magicis artibus pararunt qua ſenſum illi adimen-

mentes, alia vulnera quatuor ei impreſſerunt: poſtea quum ſibi reſtitueretur, dicebant circa ipſum neſcio quid ſancti apparuiſſe. Quumque multi confluerent, ut novum illum *Chriſtum* viderent, inſtruebant ipſum (agreſtibus enim erat moribus quo pacto ſe gerere deberet. Quumque potionem illi dediſſent quæ eum ſenſu ſpoliabat, & efficiebat ut ſpumaret, dicebant ipſum luctari cum morte, ſicut *Chriſtus* in monte *Oliveti*. Poſtea alius apparebat ei multa referens, ſed frater agnita ejus voce, omnia ſuſpecta habere cœpit, illumque à ſe repulit. Sequenti nocte apparebat ei Prior, dicens ſe *Mariam* eſſe, de qua antea dubitaſſet, & ad omnem ſuſpicionem depellendam ſe hoſtiam corporis filii ſui ipſi offerre (offerebat autem ei hoſtiam tinctam veneno) ne deinceps putaret ſe ſpiritum malum videre: dicebat etiam ſe afferre vitreum vaſculum plenum ſanguine filii ſui, quo & ipſum & Monaſterium donaret, Frater qui hanc quoque apparitionem ſuſpectam habebat, reſpondit, Si non es malus ſpiritus recita mecum orationem dominicam, & ſalutationem angelicam. *Prior* recitabat orationem dominicam, poſtea dice-

bat loco *Mariæ*, *Salutate ego sum Maria gratia plena*, *Dominus mecum*, *&c.* Frater cognita voce Prioris, arrepto cultro vulnus ei inflixit, quumque ille se defenderet, frater fortiter illum repulit.

His peractis *Supprior* sperans se illa quæ illi duo perdidissent, restituere posse, apparebat fratri, eum, quòd tam in humaniter divam Virginem tractasset, adjiciens: Jussus sum tibi indicare quòd vera vulnera *Christi* in corpore tuo habeas, quæ neque ego, neque *Franciscus* habemus. idque multis verbis. Cæterum frater ira eum excipiebat, ut statim fuga salutem quæreret. Quoniam verò frater nolebat amplius ludibrio ab eis haberi, anxii & perturbati, habito consilio, dicebant ei, se quidem liberè fateri, quòd aliquot apparitiones mentiti fuissent, non alio consilio, quàm ut in religione permaneret, summam tamen negotii veram esse, neque debere eum dubitare, quin vulnera *Christi* in corpore suo gereret. Et quandoquidem res jam invulgata esset, rogabant ne tergiversaretur, alioqui ignominia afficiendum Ordinem, & unà cum ipsis magnum periculum incursurum,

surum, sin vero constans esset, hoc & sibi & ipsis utilissimum fore. Verbisque blandis ipsi persuadebant, ut deinceps se eis obtemperaturum promitteret.

Post longam itaque institutionem, imponebant eum altari *divæ Mariæ* genibus flexis, in sacello quodam ante simulachrum *Sacræ Virginis*. Unus ex Monachis stabat post velum; & loquebatur per cannam ac si *Christus* esset, ad *Mariam*: Mater cur lachrymaris? an non promisi quicquid volueris id futurum esse? Respondebat simulachrum, ideò lachrymor, quòd huic negotio non imponitur finis. Addebat, simulachrum *Christi*: Mihi crede, manifestabitur, postea Monachus illam egressus, sacellum clausit. *Recte dixit.*

Hæc quum ab aliquot aniculis per totum oppidum disseminarentur, statim magnus factus est hominum concursus. Quatuor Monachi etiam statim accurrebant, simulantes se nescire quid ageretur, mandabant aperiri sacellum, interrogabant Fratrem quomodo illuc veniisset. Is respondebat se raptum esse è spiritu. Referebat etiam quid simulachrum dixisset, quodque non antè loco se movere posset, quàm venirent:

venirent ad se quatuor primarii viri ordinis Senatorii, quibus quædam indicanda haberet: ad hæc sacramentum Eucharistiæ sibi dari postulabat. Senatores illi statim vocabantur, Frater illis denuntiabat divam Virginem lugere quòd urbs *Berna* interitura esset propter pensiones annuas, quas à *rege Franciæ* habeberent: deinde, quòd *Franciscanos*, qui ficto honore impollutæ conceptionis eam ornarent, oppido non pellerent. Senatores illi pauca dicebant. Monachi statim hostiam veneno illitam illi afferebant, quam cum accipere recusaret; aliam ei afferebant quam sumebat, simulque cum pompa in chorum (ita vocant templi partem) ducebatur. Frater & quatuor Monachi vocabantur in Senatum, ut res illas ita se habere asseverarent. Quatuor verò illi, metuentes ne Frater, qui suspectos habebat, aliquid effutiret, struebant ei insidias cibis veneno infectis, adigebantque eum ut hostiam veneno tinctam deglutiret, quam per vomitum rejecit: miserum variis modis ita excarnificabant, ut ex ipsorum collegio effugeret, multisque rem detegeret. Interea duo legati à Monachis *Romam* mittuntur, qui con-

confirmationem rerum illarum à Pontifice impetrarent, cui postea contradicere nefas fuisset. Quumque illi redirent & sperarent rem esse (ut vulgò dici solet) in portu, ampliss. Senatus quatuor Monachos custodiæ mandavit. Antea enim ex Fratre quem in vincula conjecerant, rem omnem cognoverant. Senatus neque laboribus neque sumptibus parcens, & ipse legationem *Romam* misit, ut quid in hoc negotio agendum esset, liquido constaret. Tandem quatuor Monachi & Frater tormentis subjecti rem omnem detexerunt. Quumque convicti essent tot fraudum & scelerum, permittente *Papa*, sacris fuerunt exauthorati (vulgò degradationem vocant) & postea exusti. Vulgò ferebatur, quòd nisi ampliss. Senatus Bernensis tanta fortitudine & constantia hanc causam egisset, Clerici liberatis ipsis omnia illa scelera texissent. metuendum enim ipsis erat ne, ut postea factum est, apud multos Monachorum ordines, amitterent suam authoritatem, & hominibus etiam illa suspecta esse inciperent, quibus seu columnis Papatus nititur. Certum enim est, quòd postquam illorum Monachorum impie-

Usus hujus historiæ.

impietas, doli & scelera percrebuerunt, res Clericorum labefactari cœperint, & multis piis viris magis magisque suspectæ esse: quum dixerunt hanc vel illam animam, opem eorum experiviſſe: cereos sua sponte accensos fuisse: hanc vel illam imaginem loquutam, lachrymatam esse, ab uno loco in alterum se moviſſe: hunc vel illum divum Monasterium ornasse pretiosis reliquiis: cruces sanguine *Christi* conspersas esse: etsi confirmationem Pontificum super his rebus impetrarint, tamen multi deinceps noluerunt credere rem ita habere. Item, quòd hic vel ille sanctus Pater in ecstasin incidens, res mirandas viderit: quòd *Franciscus & Catharina Senensis* quinque vulnerum *Christi* stigmata in suo corpore gesserint.

Ad hæc non immeritò dubitari cœpit de transsubstantiatione panis in corpus *Christi*, quum toties hostiam veneno infecerint. Item de illis quæ de indulgentiis, vigiliis, ordinibus, purgatorio, aqua lustrali, satisfactionibus, pleno ore declamitarunt. Ex hac enim historia, ut alia multa mittamus, luce meridiana clarius est, quòd multa de his rebus omnibus inculcata sunt

plebi,

plebi, quæ ab otiosis illis ventribus inventa & excogitata fuerunt.

Cap. VIII.

De fallaci & mendaci spiritu Aureliæ in Gallia.

NE verò quisquam existimet prædicatores solùm tam fuisse audaces & impios, atque in fingendis tot Monstris ingeniosos, audiamus insignem historiam de *Franciscanis* quæ extat apud *Sleydanum libro 9. Commentariorum de statu religionis & Reipublicæ, Carolo V. Cæsare.*

Anno, inquit, à nativitate Christi 1534. *Monachi Franciscani* cruentum & funestum ediderunt ludum in *Gallia, Aureliæ.* Prætoris uxor ejus urbis, testamento caverat, ut sine pompa sepeliretur & strepitu: (sic *Guilielmus* quoque *Budæus* singulare ornamentum *Galliæ, Parisiis, anno Domini* 1546. *mense Augusto* moriturus, suis mandavit, ut absque magnifico apparatu eum sepelirent). Maritus, qui conjugis memoriam desigeret, morem ei gessit, & *Franciscanis*, quorum in templo sepulta-

sepulta fuit juxta patrem & avum, muneris loco dabat sex tantùm aureos, quum illi multò speraſſent majorem prædam. Et quum deinde sylvam cæderet atque divenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valdè graviter, & quum antea minus illum probarent, ulciscendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent ipsius uxorem in sempiternum esse damnatam. Architecti erant hujus Tragœdiæ *Colimannus* & *Stephanus Airebatensis*, ambo Theologi doctores, & ille quidem erat *exorcista*, totumque suum apparatum, in ejusmodi rebus adhiberi solitum, habebat in promptu: rem verò sic administrant. Novicium quendam adolescentem supra testudinem templi collocant: is intempesta nocte, quum ad deum matutinas preces illi more consueto venirent, magnum excitat strepitum: adhibentur adjurationes & exorcismi: sed nihil ille proloquitur: jussus edere signum, quo declaret num sit mutus spiritus, denuò tumultuatur & perstrepit: id erat loco signi.

Eo facto fundamento, cives aliquot & celebres quidem ac ipsorum studiosos adeunt: narrant sibi triste quiddam

dam accidisse domi, neque tamen quid rei sit exponunt: sed rogant ne graventur adesse nocturnis precibus. Quum hi veniissent, & precationum factum esset initium, ille de superiori loco turbam excitat: rogatus quid vellet, & quis esset, significat sibi non licere loqui: jubetur ergo per signa respondere ad interrogata. Foramen autem erat factum, per quod admotis auribus, exorcistæ vocem haurire poterant & intelligere: deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic ut infrà posset exaudiri. Primùm itaque rogatur, num sit ex eorum numero qui sint ibi sepulti? Postea multis ordine recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita, venitur tandem ad uxorem Prætoris: ibi dato signo, se spiritum ejus esse demonstrat. An sit damnatus, & quonam suo merito seu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non præstitam charitatem, an verò propter nuper natam hæresin & *Lutheranismum*? deinde quid sibi velit illo strepitu & inquietudine? num ut corpus loco sacro sepultum effodiatur, alioque transportetur?

Ad

Ad hæc omnia sic ut jussus erat, per signa respondet, quibus aliquid affirmabat vel negabat, pro ut bis aut ter tabulam feriret. Quum autem & suæ damnationis causam esse *Lutheranam hæresin*, & effodiendum corpus esse significaret, Monachi petunt à civibus quos adhibuerant, ut iis quæ coràm vidissent, dent testimonium, & actis, quæ jam erant confecta superioribus diebus, subscribant. Hi, re deliberata, ne Prætorem offenderent, aut molestiam sibi crearent, id facere recusant: illi nihilominus panem azimum, quem vocant hostiam & corpus Domini cum reliquiis omnibus divorum alio transferunt, & missas ibi suas peragunt. Episcopi autem vicarius judex (Officialem vocant) ea re cognita, ut propius omnia cognosceret, venit eò, comitatus honestis aliquot viris, & exorcismos fieri se præsente jubet, ac deligi nonnullos petit, qui supra testudinem ascendant, & videant num Spectrum aliquod appareat. ibi *Stephanus Atrebatensis* admodum repugnat, & valde dehortatus ne fieret, ajebat non esse turbandum spiritum. Et quanquam vicarius multùm instabat ut adjuratio-

nes

nes fierent, tamen impetrare nihil potuit.

Interea Prætor, ubi reliquos judices urbanos, quid fieri vellet, docuisset, ad Regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia suis legibus & immunitatibus freti, judicium Monachi declinabant, Rex è Senatu Parisino deligit, qui de causa cognoscant, illisque plenam potestatem attribuit: facit idem Cancellarius, *Antonius Pratensis, Cardinalis & Legatus Pontificius per Galliam.* Itaque, quum nullam haberent exceptionem rei traducti *Lutetiam* coacti sunt respondere; sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. Positæ singulis erant custodiæ separatim, & novitius quidem tenebatur in ædibus Fumæi Senatoris, ac sæpe solicitatus nihil voluit fateri, metuens, ne post interficeretur ab illis, ob inustam ordini maculam & factam ignominiam: sed quum judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent ut in ipsorum potestatem minimè rediret, totam actionem ordine recenset, & adductus ad illos, idem affirmat. Illi, quanquam erant convicti, & in ipso propè maleficio deprehensi, recusabant tamen judices

ac privilegia sua jactabant: verùm id fruſtrà fuit: & de communi consilio lata sententia damnati sunt, ut *Aureliam* reducti & in carcerem conditi, publicè denique producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis, atque ibi suum scelus ipsi profiterentur. Sed his ipsis diebus incidit in *Lutheranos* persecutio: quæ res in causa fuit quominus ea sententia, licet admodum lenis pro tanto flagitio, veniret in executionem. Nam quia Luteranorum nomen erat odiosissimum, metus erat, ne si quid gravius fieret, non tam illis debita persoluta pœna, quàm Ordini facta putaretur injuria: & quicquid eis accideret, *Lutheranis* id jucundissimum fore spectaculum plerique judicabant. *Franciscanorum* autem ordo magnam habet ad vulgus opinionem sanctimoniæ: & quum illi jam damnati Lutetia deportarentur *Aureliam*, fœminæ quædam, impulsæ misericordia, multis cum lachrymis atque suspiriis, ad portam eos usque sequebantur. ubi venissent *Aureliam*, in singulos carceres abducti, rursus immunitatem atque privilegia sua jactabant, & tandem post diu-

diuturnam custodiam, nulla graviore pœna mulctati, ac soluti vinculis evaserunt.

Dum essent captivi nihil eis deerat, & tam ad victum, quàm ad comparandum patrocinium atque gratiam, abundè submini strat um eis fuit, à fœminis præsertim. Nisi persequutiones illæ, quas attigimus, & incendia rem impedivissent, constituerat Rex (ut quidem ferebatur) ædificium illorum omne diruere & solo æquare.

Hæc quoque historia ostendit non semper spiritus audire, quando id quidam affirmant.

Cap. IX.

De quodam Parocho Clavennæ qui se divam Virginem, & alio quodam qui se animam mentitus est: Item de quodam Jesuita personato.

UT plenius hanc rem cognoscamus, aliam quoque historiam recitabo de quodam Parocho, quæ annuo spacio superiorem præcessit, & à *Johanne Stumpfio in Chronicis Helve-*

siorum l. 10. *c.* 8. breviter quidem sed verè describitur. Multi enim egregii viri hodie quoque hac de re idem testantur.

Parochus quidam *Clavennæ* (oppidum est non procul à lacu *Lario*, ditionis *Rhetorum* captus amore formosæ & pudicæ Virginis filiæ civis illius oppidi, sæpe euntem ad horreum patris sui ante oppidum, sequutus est: eamque de stupro soliciravit; sed semper repulsam passus est. Tandem *Parochus* ille pannum cærulei coloris stellis ornatum ex templo sustulit, seque eo texit, brachia verò & pedes nudans sanguine conspersit, & ante oppidum se abscondit, iterumque ignotus virgini occurrit, & tenui linteolo facie velata, se *Mariam Virginem* esse mutata voce mentitus est. Multis recitavit, quæ mala impenderent oppido propter *Lutheranam* religionem (nam aliàs quoque in *Lutheranos* pro concione vehementer invectus fuit) mulæ mandavit virgini, quæ oppidanis referret de feriis, jejuniis, supplicationibus instituendis, &c.

Inter alia hæc quoque adjecit, sanctum quendam virum in hoc loco aliquid ab ipsa petiisse quod hactenus recusaris,

cusarit, se velle, ut si denuò petat, morem ei gerat, quæ vitæ æternæ consors fiat: hoc ultimum autem dissimulare debere, & tacitè habere.

Mox virgo per oppidum disseminavit quòd *diva virgo* sibi apparuerit, & mala imminentia oppido denuntiarit. Incolæ re deliberata, metu imminentium malorum, trium dierum ferias indixerunt. Interea illa pessimo illi nebuloni morem gerit, sperans se rem gratam *Deo* & *divæ Virgini* facturam. Hic dolus quum paulò post mirabili Dei providentia detectus esset, sceleratus iste primùm decollatus, postea crematus fuit.

Erasmus Roterodamus scribit libr. 22. epistolarum ad Episcopum quendam, seque excusat de capitibus quibusdam quæ ille in hunc finem ei proposuerat, ut cautus esset, & inter alia errantium animarum vel spirituum faciens mentionem, narrat hanc historiam. *Parochus quidam fuit, cui convixit neptis, mulier benè nummata. in hujus cubiculum profunda nocte aliquoties irrepsit, linteo involucro umbram mentitus. Emisit voces ambiguas, sperans fore ut mulier exoreistam accerseret, aut ipsa loqueretur. Verum*

illa nimis masculo animo, clam rogavit amicum quendam, ut unam noctem secum esset tectus in cubiculo. Ille verò fuste armatus pro exorcismis, ac probè potus, quominus expaveſceret, occultatur in lecto. Adest Spectrum solito more, nescio quid triste mugiens. excitatur exorcista: prosilit nondum sobrius, aggreditur. ibi Spectrum voce gestuque deterrere parat. At ebrius ille, si tu es, inquit Diabolus, ego sum mater illius: & correptum impostorem fuste dolat, occisurus ni mutata voce clamasset, Parce, non sum anima: sed sum dominus Joannes. Ad vocem agnitam mulier exilit è lecto, pugnamque dirimit, &c.

Idem scribit in eadem epistola, hunc ipsum parochum, sub diem paraſceves clam immisisse in cœmiterium vivos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus. Qui cum reperent inter sepulchra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est propiùs accedere. Hinc rumor atrox: consternatis omnibus, Parochus è suggestu docet populum, has esse defunctorum animas, quæ missis & eleemosynis flagitarent è cruciatu liberari. Fucus ita proditus est: reperti sunt tandè unus & alter cancer inter rudera facem

extinc-

extinctam gestantes, quas Parochus non recollegerat.

Georgius Buchananus, Poëtarum nostro seculo princeps, in suo *Franciscano*, recitat historiam de quodam *Lango* sacrificio, qui in campo quodam *Scotiæ* sulphureo, animas miserè torqueri, opemque petere mentitus, subornavit rusticum quem adjuraret. Fraudem rusticus ille, quum mero incaluisset, detexit. Versus ejus recitarem, nisi libri ejus omnium studiosorum manibus tererentur.

Jesuita in Diabolum transformatus.

Dum hæc scribo, nuntiatur nobis à viris fide dignis, fuisse hoc *anno* 1569. *Augustæ* urbe clarissima *Germaniæ* in magna familia ancillam & famulos, qui *Jesuitarum* sectæ parum tribuerunt. Quendam igitur illius ordinis promisisse hero illorum, se illos facilè in aliam opinionem adducturum. Itaque Diaboli larva inducti, sese in locum quendam domus abdidisse. Illuc ut afferret aliquid ancillam vel sponte iviſſe, vel ab hero suo missam fuisse, quam protinus Jesuita ille personatus valde perterruit: illam mox uni ex famulis rem indicavisse, hortatamque fuisse, ut sibi à loco illo caveret. Paulò pòst illum quoque illuc venisse, &

arrepto pugione Diabolum personatum in se ruentem transfixisse.

Hæc historia Germanicis metris descripta, & typis excusa nunc in omnium manibus versatur.

CAP. X.

Mirum non esse, quòd olim falsæ apparitiones factæ sint, neque mirum esse, si hodie quoque fiant.

ALia hujus generis multa exempla adduci possent, sed hæc nobis sufficiunt, ex quibus evidenter apparet, quonam ambitio, avaritia, invidia, odium, pertinacia, ocium & amor, homines adigat.

Ambitio. Quotidiana experientia discimus, ambitiosos nihil non audere. Si alios quos existimant vel sibi vel suis obfuturos quò minus emergant, delationibus, calumniis, aliisque viis & rationibus impedire possint, non verentur hoc facere. Quid mirum igitur si qui ex Monachis & sacrificis, qui eminere volunt, falsis miraculis & apparitionibus: aliisque id genus rebus, sibi auctoritatem etiam hodierno die conciliare moliantur?

Omnes

Omnes norunt quàm pestilens res sit Avaritia. Nam qui paucis non contenti, ditescere volunt, nemini parcunt. Avaritia

Famelici varias vias quærunt, ut saturari possint: pauci famem libenter tolerant. Minimè itaque mirum est, si adhuc inter Monachos & sacrificos, qui semper hoc nomine malè audiverunt, quòd avari sint, aliqui reperiantur, qui falsis apparitionibus animarum, suas res agant, peregrinationes religiosas & alia pecuniæ aucupia excogitent. Quid enim non faciunt homines ociosi & desides, ut opes colligant? *An non dicit Paulus illos qui otio ditescere volunt, incidere in laqueum Diaboli?*

Quid zelus, pertinacia, invidia, odium, contentio, vincendi studium, efficiant, quid possint, docet experientia, *Prædicatores Bernenses* quum non aliter se vincere posse sperarent, tradebant se (id quod dictu horribile est) cacodæmoni: & sua cum ipso consilia communicabant. Quis autem negare potest, quin hodie quoque sacrifici ferè morosi, pertinaces & contentiosi existant? Invidia

Otium fomes est omnium malo- Otium

rum, quid igitur boni ab illis expectabis, qui non solùm nullis laboribus à Deo præscriptis sese exercent, neque operam dant bonis literis, sed & dies noctesque helluantur? Dic mihi, quæso, num laboriosus agricola, an ociosus homo, cui excogitandis rebus pestiferis tempus non defuit, machinas bellicas (quas bombardas vocant) invenit?

Quid amor efficiat, multis posset ostendi & explicari. Quoniam vero Monachi & sacrifici in ocio vivunt, omnibus delitiis abundant, interim à sacro conjugio arcentur, quid mirum si hodie quoque fingant varias visiones, ut amoribus melius potiri possint?

De hoc jam nihil dicam, quod metuendum est ne non pauci inter illos tam profligati & perditi sint, qui magicas, & alias prohibitas artes exerceant: cui igitur posthac mirum videbitur, si dicantur spiritus fingere & postea dicere, hanc vel illam animam se videndam exhibuisse? Ubicunque enim illa sunt, de quibus jam diximus, nihil non audent homines.

Nulli autem magis rebus illis obnoxii sunt quàm qui in Monasteriis & col-

collegiis degunt: nemini igitur novum & inauditum videri debet, si dicamus olim falsas apparitiones multas factas fuisse, & hodie quoque interdum fieri posse. Mundus enim, ut omnes querantur, ruit in pejus. Plures nunc sunt impudentes, audaces, avari, impii, quam superioribus annis fuerint.

Ad hæc Clerici hanc quoque prærogativam habent, quòd homines, præsertim superstitiosi, eos summa observantia colunt & diligunt; nemo putat eos rebus malis studere, fraudibus & dolis: omnes expectant ab eis longè alia: possunt igitur si rebus malis operam dent, facilè latere, nisi Deus malitiam eorum, ut superioribus aliquot exemplis demonstratum est, mirabili indicio prodat & in lucem protrahat.

Hanc verò ob causam fortassis sacrificis & Monachis non ita vitio verti debebat, quòd dolis & fraudibus simplices sæpe circumvenerunt, cùm aliquot ex ipsis sanctissimis patribus, nempe Romanis Pontificibus, ut ipsorummet Historici commemorant magicarum artium perititissimi fuerint, earumque beneficio ad Papatus cul-

Ipsi Papæ finxerunt apparitiones.

men ascenderint. *Beno* (vel potius *Bruno*, ita enim legendum esse arbitror) qui ipse quoque ex *Cardinalium* numero fuit, vitam *Gregorii VII.* descripsit, in qua ostendit Pontificem illum superbum, arrogantem, invidum & avarum Monachum & magicarum artium peritissimum fuisse. De *Sylvestro II.* scribit *Bartholomæus Platina* (qui Paparum flagitia ubicunque potest excusat & defendit: quippe minister ipsorum) quod se Satanæ dediderit, ejusque ope, consilio, artibusque magicis, ad Papatum pervenerit, Putasne illis qui cum hoste generis humani pactum inire audent, difficile esse mentiri spiritus aut animas, vel adjurare dæmonem, ut se animam esse fingat? Putasne eos horrere tale facinus?

Gregorius 7.

Sylvester 2.

Bonifacius 8.

De *Bonifacio VIII.* historici referunt, quòd prædecessorem suum *Celestinum* deceperit voce tanquam cœlitus missa per cannam ad eum facta, ut desereret Pontificatum, & *Bonifacium* digniorem institueret, nisi vellet cœlorum regno excludi. *Simplex ille Papa* obtemperans ei, *anno à nativitate Domini* M. IIII. XCIIII. ambitiosum *Bonifacium*, qui primus annum

num lubilæum reduxit, suo loco Papam constituit. De isto *Bonifacio vulgo dicebatur, Intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, mortuus est ut canis.* Si ipse Vicarius Christi qui omnem scientiam in scrinio pectoris sui conclusam habet, potuit decipi, nemo deinceps miretur, simplices & credulos agricolas atque cives deceptos fuisse, dictumque illis esse, hæc Deus dixit, hæc anima opem petiit, & alia quæ veniissima fuerunt. Si iste voces divinas potuit fingere an non mortuorum quoque?

Laici sacrificos aliquando decipiunt.

Priusquam ulterius progrediar, hoc etiam annotandum est, fieri posse ut homines jocosi, etiam ipsos Sacrificos aliquoties deceperint. Quum enim se jactarunt, quòd spiritus adjurare possent, & animas liberare, fieri potest ut involuti linteo prunam vivam in testa sub illo habentes Sacrificis apparuerint, qui crediderint se animas videre liberationem expetentes.

Erasmus in Colloquio cui titulum fecit, *Exorcismus vel Spectrum*, scribit, quomodo *Pelus quidam Faustum sacrificulum* mirificè deceperit. Cæterùm non est dubitandum, quin sacerdotes semel & iterum à Laicis, ut

vocant, decepti falsis animarum apparitionibus joci causa illis vicissim sæpius illuserint. Certissimum est, pleraſque spirituum apparitiones ab hominibus ad hunc modum, uti commemoravimus, confictas fuisse.

De hominibus vigilantibus hactenus dixi. paucula jam addam de dormientibus.

Noctu ambulantes.

Sunt quidam qui hoc morbo laborant, ut dormientes ambulent, id quod de *Theone Stoico* legitur, & servo *Periclis*, qui dormiens in summa tecta ascendit. Audivi quod fuerint qui in somnis fecerunt quæ vigilantes non potuissent. Siquis noctu talem videat ambulantem sive indutum vestibus sive nudum, & postea ex illo ipso audiat se domi fuisse in lecto suo, alter ille putabit se vidisse ejus spiritum: item si domi suæ talem audiat.

CAP. XI.

Multas res Physicas vulgò pro Spectris haberi.

QUotidie multa etiam naturaliter fiunt, quæ multi, præcipuè verò homi-

homines meticulosi, *Spectra* esse putant. Ut quum ratti, catti, putorii, martis, aliorumque animalium vocem audiunt, vel equum in stabulo nocte intempesta, terram pede pulsantem, statim tremunt & sudant, putantes in domo nescio quod Spectrum per noctis silentia vagari. Aliquando auditur *Onocrotalus* vel ardea stellaris, quæ aves raræ sunt apud nos, aut aliæ aves peregrinæ: ibi multi se nescio quæ audire somniant. Si ligneum parietem teredo vel cossus erodat, quidam putant se audire aliquem qui malleolo incudem leviter feriat: aliquando plures sibi audire videntur. Simplices quidam & stolidi homines, hæc audientes fingunt nescio quos virunculos Terreos esse, mirabiles suas fabulas de illis recitant, quas ex matribus & aviis suis audiverunt, quòd domesticis apparuerint, ministrarint, cunas moverint, quodque faustum sit si in ædibus alicujus morentur. Si revera tales perpusilli conspecti sunt, fuerunt mali spiritus. Legitur enim Gentiles *Lares* & *Penates* suos habuisse, quos coluerunt, quòd domos ipsorum curarent & familiam defenderent: mali spiritus forma humana aliquando se illis conspicien-

Animalia.

Terrei virunculi.

dos præbuerunt, ut superstitiones in eis confirmarent.

Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis scribit in historia sua de gentibus Septentrionalibus, hodie quoque in regionibus illis, spiritus existere, qui humana forma noctu hominibus ministrent, equos & alia jumenta curent. Ventus aliquid in ædibus prosternit, movet tabulam fenestralem noctu, multi statim putant se audire Spectrum, & vix ac ne vix quidem ab hac opinione vana possunt deduci.

Echo. Hoc quoque naturale est, ut quumquis in sylvis, convallibus & locis concameratis clamat, vel loquitur, Echo ultimas voces vel syllabas remurmuret, aliquando tam expresse, ut quis putet sibi aliquem ex adverso respondere. Multi per terre fierent præsertim noctu, nisi probè scirent rem esse naturalem.

Cardanus de Subtilitate lib. 18. miram historiam recitat de quodam *Comensi*, qui intempesta nocte juxta torrentem quum vadum nesciret, exclamavit, quumque *Echo* responderet, ille hominem esse existimans interrogavit, an hic transire posset. *Echo* respondis-

pondit Italica lingua, hic hic. At ibi gurges erat & magnus aquarum strepitus, itaque iterum atque iterum interrogat, an ibi torrens vado transiri posset: idem *Echo* subinde respondit. Tandem periculo liberatus, amicis retulit se ferè dæmonis suasu in torrentem præcipitatum fuisse, ibidem refert, basilicam magnam *Ticini* voces multiplices reddere, inque ea voces sensim emori, ac desinere velut morientis vocem: ut vix credi possit quòd sit *Echo*.

Sunt quædam quæ noctu duntaxat lucent, ut quædam gemmæ, oculi quorundam animalium, lampyrides vel cicindulæ, ligna putrida, quibus pueri sodales suos ita interdum terrent, ut sibi videantur malos spiritus aut flammantes viros videre. *Noctu lucentia.*

Hector Boëthus scribit, regem quendam Scotiæ certos homines subornasse, quis quammis fulgentibus induti & putridis lignis pro baculis armati suis principibus & nobilibus noctu apparuerint, & ad fortiter pugnandum contra hostes eos adhortati sint, eisque victoriam promiserint. Illi existimantes se *Angelos* vidisse, rem fortiter gerentes victoria potiti sunt.

Ali-

Lucernæ ignes.

Aliquando candelæ vel igniculi conspiciuntur, qui noctu videntur hinc inde vagari. Utque in *Helvetia* adolescentes, qui faculis suis, ad ignes quos nocturno tempore in carnis privio, ut vocant, accendunt, jam sese colligunt, mox iterum dissipantur iterumque conjuncti longo ordine inceduut: ita illi igniculi, nunc videntur in uno loco colligi, mox iterum dispergi & discurrere, tandem evanescere. Plerunque soli ambulant, & iter noctu facientes, valde perterrent. Hæc verò & alia, naturales suas causas habent: non tamen negavero quin dæmones quoque hominibus hoc modo sæpe illudant.

Exhalationes.

Physici tradunt densas exhalationes prodire ex terra & accendi. Sulphurea materia in latebris & venis terræ; si aër penetret, accenditur & erumpere conatur. Aliquando ignis ex terra ad altitudinem proceræ arboris erumpens, subitò extinguitur: quod etiam in ardentem materiam exitum quærentem referendum est. *De Ætna monte Siciliæ* legitur, quòd olim die noctuque arserit, flammas, cinerem, igneosque lapides ejecerit. Item de *Vesuvio monte Campaniæ* qui ad mil-

liare

liare Germanicum distat *Neapoli*. Ille, ut D. *Hieronymus* scribit, imperante *Tito* tantum ex se incendii emisit, ut vicinas regiones, & urbes ejusque incolas exureret, camposque vicinos cineribus oppleret. Nostra quoque memoria, hi duo montes magnis ardoribus æstuantes, ingens damnum accolis intulerunt. Similia leguntur de aliis montibus, etiam nostro tempore. In *Islandia* reperiuntur ignes erumpentes è terra, teste *Olao-Magno*. Quemadmodum autem montes & campi ardere possunt: ita parvus ignis accendi potest in terra, & latè vagari. Qui iter faciunt, aut alioqui hæc vident & naturalium causarum ignari sunt, ex metu fingunt se vidisse viros igneos, vel alia miranda, de quibus aliquando ex aliis audiverunt. Ex metu interdum in periculosos morbos incidunt.

Optice quoque id facit admirandum, ut in speculis certa ratione factis & positis, variæ se imagines ostentent: aliquando foras exire videantur, & homines nobis notos referre.

Quædam etiam naturalia sunt, licet causæ naturales non possint afferri. Interim ineptè faciunt, qui omnia *Specula.*

ad

ad causas naturales referre conantur. De his nihil nunc scribam, qui simplicibus & rudibus hominibus facilè persuadere possunt, se, vel alios, hæc vel illa miranda vidisse, quæ postea pro certis passim affirmatur, cùm tamen omnia sint conficta. Quoties audivimus quædam pro veris narrati: ut quòd aliquis à Diabolo raptus sit animo & corpore, quòd aliquis supplicio capitali affectus sit, & multa alia hujus generis, quæ postea res ipsa ostendit vanissima fuisse?

CAP. XII.

Quòd spiritus vel Spectra interdum appareant, probatur historiis gentilium.

QUanquam autem homines Melancholici, furiosi, timidi & imbecillibus sensibus præditi, multa sibi imaginentur quæ revera non sunt: item ab hominibus & bruris animantibus fæpe decipiantur: res item physicas, *Spectra* & *lemures* esse fingant, id quod hactenus multis exemplis ostendi: certum tamen est, quòd non omnia quæ homi-

hominibus apparent, sint res naturales, aut vana terriculamenta: sed quòd *Spectra* interdum appareant: & multæ res mirandæ præter naturam subinde accidant. Nam multa hujus generis apud complures graves historicos leguntur: multi quoque non fluxæ fidei homines affirmant se noctu & interdiu etiam *Spectra* vidisse.

Aliquot historias de *Spectris* quæ apparuerunt, ex variis probatisque historicis, ordine annotabimus.

Julio Cæsari apparuit Triton.

Suetonius Tranquillus scribit Julium Cæsarem, cùm ex Gallia in Italiam cum exercitu proficisceretur, & ad Rubiconem fluvium (qui *Italiam* à *Gallia* citeriore disterminavit) jam perveniisset, paululum constitisse atque reputasse quantum moliretur: cumque animi dubius esset, transire fluvium vellet nec ne, *quendam eximia magnitudine & forma, in proximo sedentem subitò apparuisse arundine canentem:* (*Tritonem vocat Melanchon in suis physicis*) *ad quem audiendum cùm præter Pastores plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interque eos & æneatores*, (hoc est tubicines ab æneis tubis sic dicti) *rapta ab uno*

tuba

tuba prosiluisse ad flumen: & ingenti spiritu classicum exorsum tetendisse ad alteram ripam: tum Cæsarem dixisse, Eamus quò deorum ostenta, & hostium iniquitas nos vocat: lacta est altea.

Theseus in pugna Marathonia visus.

Plutarchus scribit in vita Thesei, multos qui in pugna *Marathonia* contra *Medos* fuerunt, testatos esse quòd umbram *Thesei*, qui longo antè tempore ex lapsu interierat, armatam vidissent ante aciem *Græcorum, Barbaris* irruentum. Quæ causa *Athenienses* moverit ut ipsum postea tanquam heroem venerati sint.

Pausanias scribit in Attica, in campo Marathonio post commissum prælium annis quadringentis, singulis noctibus hinnitum equorum, & concursum militum pugnantium auditum esse. Et illis qui ad hoc spectaculum data opera accedebant, nihil occurrisse: illos verò qui fortè fortuna illuc venissent hæc clarissimè audivisse.

In vita Cimonis scribit idem Plutarchus, cives *Cheronenses* Damonem, qui propter multas cædes urbe cesserat, verbis blandis in urbem revocasse, postea in balneo eum trucidasse, & ab eo tempore multa Spectra illo in loco visa

visa & gemitus exauditos esse, ita ut fores balnei tandem obstruxerint.

In vita Dionis narrat, *Dioni* viro animoso & imperterrito magnum & horribile visum oblatum fuisse. Cùm enim inclinante jam die (verba sunt *Plutarchi* interprete *Xilandro*) solus fortè in atrio domus sederet cogitabundus, subito sprepitu excitatus, in alteram porticus partem respexit, magnamque contuitus est mulierem, quæ habitu vultuque nihil à Tragica Furia distans, domum scopis verreret. Graviter eo *Spectro* territus atque consternatus, amicos ad se vocavit, eisque visum exposuit, & ut secum eam noctem agerent oravit, omnino metu, quasi attonitus timens ne sibi soli rursum id ostentum occurreret: id quod tamen porrò non accidit. Paucis pòst diebus, filius ejus de superiore parte ædium se in capur dejecit, atque obiit: ipse verò confossus interiit.

In vita Decii Bruti idem scribit: Cùm *Brutus* statuisset copias ex *Asia* in *Europam* transportare concubia jam nocte, cùm in tentorio ejus lumen esset haud sanè clarum, & totis castris quies silentiumque esset, animo secum quidpiam deliberans atque reputans, visus

est

est sibi quendam audire ad se intrantem, respicienſque ad hostium, terribilem conſpexit & monſtroſam inusitatæ staturæ corporis atque metuendæ imaginem, tacitè sibi astantis: ausus tamen percontari: Quisnam ait, hominum, deorumve, aut cujus rei causa ad nos venis? Respondit ei imago, Tuus sum, *ô Brute, malus genius, apud Philippos me videbis.* Tum ille nihil territus, videbo inquit. Cùm id *Spectrum* evanuisset, famulos vocavit, qui neque vidisse quicquam se, neque ullam vocem audivisse responderunt. noctem eam insomnem *Brutus* exegit, summo manè ad *Cassium* se contulit, eique visum illud suum exposuit, *Cassius* qui hæc omnia contemnebat (Epicureus enim fuit) omnia ad naturales causas referebat. Extat enim de hac re ejus disputatio apud *Plutarchum*, Postea verò *Brutus* in campis *Philippicis ab Augusto & Antonio* prælio victus, ne hostibus suis traderetur manus sibi intulit.

C. Cassium vidit Julium Cæsarem.

Valerius Maximus scribit lib. 1. *cap.* 6. *C. Cassium in pugna Philippica Julium Cæsarem vidisse*, augustione forma quàm hominis, atroci & minaci vultu,

tu, concitato equo in se impetum facientem, quo aspectu illum territum tergum hosti dedisse. Postea sibi ipsi manus intulit.

Dio Cassius Nicæus Romanæ historiæ lib. 55. ab initio scribit de Druso quòd longè lateque omnia in *Germania* populando ad *Albim* usque fluvium perrexerit hunc cùm frustrà conatus esset transire, trophæis constitutis recesserit. Etenim mulierem quandam humana forma majorem, cùm ei obviam veniisset dixisse. *Druse*, quò tandem nullum cupiditati tuæ modum statuens contendis? non tibi satis concessum hæc omnia videre quin tu abi, jam enim & operum tuorum & vitæ instat tibi terminus. His auditis *Drusus* continuò cursum retrò flexit, & in itinere priusquam ad *Rhenum* perveniret, ex morbo decessit.

Druso apparuit femina forma angustiore quàm communi.

Alia quoque prodigia accidisse refert ante mortem ejus, quæ tamen ille contempserit. nam duo juvenes per medias munitiones equis vecti apparuerunt, ejulatusque muliebris auditus fuit & alia id genus, &c.

Plinius secundus Novocomensis lib. 7. epistolarum de Spectris, epistolam habet ad *Suram*, quam operæ pretium

Plinius secundus de Spectris.

videtur

videtur integram hoc loco inferere, & mihi discendi, & tibi docendi, inquit, facultatem ocium præbet. Igitur perquàm velim scire, esse aliquid *phantasmata*, & habere propriam figuram, numenque aliquod pures, an inanem & variam ex metu nostro imaginem accipere. Ego ut esse credam, in primis eo ducor, quod audio accidisse *Curtio Rufo*. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti *Africam* comes hæserat. Inclinato die spatiabatur in porticu offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque perterrito, *Africam* se futurorum prænunciam dixit. iturum enim *Romam* honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. Facta sunt omnia. Præterea accedenti *Carthaginem*, egredientique navem (nimirum cùm ad præfecturam iret) eadem figura in litore occurrisse narratur. Ipse certè implicitus morbo, futura præteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, projecit. Jam illud nonne & magis terribile, & non minus mirum est? quod exponam ut accepi.

Spectrum Atheniense.

Erat Athenis spacioso & capax do-

mus,



mus, sed infamis & pestilens: per silentium noctis sonus ferri & si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo: cruribus compedes manibus catenas gerebat quatiebatque, inde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur, vigiliam, morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque quanquam abcesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat lõgiorque causis timoris timor erat, Deserta inde, & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. venit Athenas philosophus, Athenodorus, legit titulum: auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus, imò tantò magis conducit. Ubi cœpit advesperascere, jubet sterni sibi in prima domus parte poscit pugillares, stylum, lumen, suos omnes in interiora dimittit: ipse ad scribendum, animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulachra, & inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique silentium noctis, deinde concuti ferrum,

vincula moveri, ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obfirmare animum, auribusque prætendere. Tum crebrescere fragor, adventare, & jam in limine, jam ut intra limen audiri: respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, similis vocanti. Hic contrà, ut paulum expectaret, manu significat, rursusque ceris & stylo incumbit, illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem. Nec moratus tollit lumen, & sequitur: ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis: postquam deflexit in aream domus, repentè dilapsa descrit comitem. Desertus herbas & folia conceptа signum loco ponit. Postero die adit Magistratus: monet ut illum locum effodi jubeant. Inveniunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: collecta publicè sepeliuntur: domus postea ritè conditis manibus caruit. Et hæ quidem affirmantibus credo, illud adfirmare aliis possum.

Est libertus mihi non illiteratus: cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quen-

quendam in thoro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli jacentes reperiuntur. Exiguum temporis medium, & rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in pædagogio missus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis, cubantemque totunderunt, & quà venerant recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsosque circà capillos dies ostendit. Nihil notabile sequutum, nisi fortè quòd non fuit reus futurus, si *Domitianus*, sub quo hæc acciderunt, diutius vixisset. Nam in scriniis ejus datus à Caro de me libellus inventus est. Ex quo conjectari potest, quia reis moris est submittere capillum, reciscos meorum capillos, depulsi quod imminebat periculi signum fuisse, Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est, quam diu multumque consideres: ego quidem indignus, cui copiam scientiæ tuæ facias. Licet etiam utramque in partem, ut soles, disputes: ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, quum mihi consulendi

causa fuerit, ut dubitare desinerem, Vale.

Quid ad hanc epistolam *Sura*, quem apparet virum doctum fuisse, *Plinio* responderit, nusquam habetur. Sed quid solidi homo gentilis hac de re disputare potuisset?

Similis historia legitur in *collectaneis locorum communium Ioannis Manlii*, qui scribit (ex relatione *Melanchthonis*) *Theodorum Gazam* prædium habuisse in *Campania*, ex beneficio *Nicolai Pontificis*. In illo prædio quum colonus effodisset urnam, in qua fuerunt ossa, apparuisse illi *Spectrum*, quod jussit eum urnam rursus sepelire: nisi enim id faceret, fore ut filius ipsius moreretur. Quumque id colonus neglexisset, ejus filium paulò pòst noctu interfectum esse. Interjectis aliquot diebus revertisse *Spectrum* minitans colono se etiam alterum filium interfecturum, nisi ossa conderet. Colonus admonitus accepto damno, videns etiam alterum filium in morbum incidisse, rem *Theodoro* refert. Is profectus cum eo in prædium, & in loco ubi colonus urnam eruerat rursum facto sepulchro, urnam cum ossibus sepeliunt. Repositis ossibus

in

in suum locum, filius coloni statim convaluit.

Trajanum scribit Dion à Spectro eductum in locum tutiorem ex ea domo *Antiochiæ* in qua diverterat in terræ motu.

Iulius Capitolinus qui aliquot *Imperatorum Romanorum* vitas descripsit, refert *Pertinacem* tribus diebus antea quàm confossus interiret, in aqua piscinæ suæ umbram conspexisse, quæ stricto gladio mortem ei minitata sit, eumque inquietarit.

Flavius Vopiscus, *Tacito* scribit mortis omnia fuisse, quòd paternum sepulchrum disruptis januis se aperuerit: matris umbra se per diem & *Tacito* & *Floriano*, veluti viventis obtulerit.

Ammianus Marcellinus lib. 21. *De signis mortis Constantii* tradit, quòd nocturnis temporibus imaginibus territus fuerit.

Idem *lib.* 25. *De Juliano*, quòd paulò ante obitum, quum ad imitationem *Iulii Cæsaris* sub pellibus scribere, viderit squallidius speciem genii publici (qui cum cornu *Amaltheæ* pingi solebat) quàm quum ad angustum culmen surgeret, discedentem.

Lucanus non tam Poëta quàm Historicus, *lib.* 1. *Pharsaliæ*, multa recenset prodigia quæ bellum civile *Julii Cæsaris* & *Pompeii* præcesserint, & inter alia dicit:

Marius apparuit.

Insonuêre tubæ & quanto clamore cohortes.
Miscentur, tantùm nox atra silentibus umbris
Edidit: & medio visa consurgere campo,
Tristia Syllani cecinêre oracula manes,
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas,
Agricolæ fracto Marium vidêre sepulchro, &c.

CAP. XIII.

Ex historia veteris Ecclesiæ, & scriptis sanctorum Patrum probatur esse Spectra.

SI evolvamus historias Ecclesiasticas, quædam nobis hujus generis occurrunt.

Sozomenus scribit in sua historia Ecclesiastica, lib. 6. cap. 28. de Apelle fabro

fabro ferrario (cujus nomen per *Ægyptum* celebre fuit, propter donum edendorum miraculorum, quo ornatus fuit) quòd quum noctu arti suæ insisteret, *Spectrum* dæmonis, specie mulieris ornatæ de castitate eum tentarit. Ille ferro in quo operabatur, ex igne rapto, faciem dæmonii combussit, quod mox stridens ac lamentans aufugit.

Postea *lib. 7. cap. 23. scribens de seditione* quæ mota fuit *Antiochiæ* propter immodicam exactionem, quam *Theodosius Imperator* belli temporibus urbi imperaverat, qua populus offensus, Imperatoris & conjugis ejus statuas dejecit, & fune injecto traxit, contumelioſasque voces sparsit. Nocte autem, inquit, præcedente, postquam statim orto die mota fuit seditio: fertur visum esse *Spectrum* mulieris magnitudine immensum & aspectu horrendum, in sublimi per plateas civitatis circumcursans, & aërem flagello horrisono verberans: ut quemadmodum bestias ad iram incitare solent qui ad ejusmodi spectacula serviunt: sic in festus quidam genius dæmonum insidiis seditionem eam movisse appareat.

Theodorus lector scribit in collectaneis suis ex Ecclesiastica historia libro primo, Gennadio Patriarchæ Constantinopolitano noctu ad altare orandi gratiâ descendenti, oblatum esse *visum vel Spectrum* quoddam, horribili specie, quod quum ille increpasset, audivisse vocem clamantem: ipso quidem vivente, se cessare, sed post mortem ejus Ecclesiam vastaturum. Quo audito, oravit pro Ecclesiæ salute; & paulò post è vivis excessit.

Nicephorus.

Apud Gregorium Nicephorum, qui res Ecclesiasticas fusè descripsit, & *Abdiam* de *vitis Apostolorum*, multa extant de visionibus, somniis, miraculis sanctorum, item de *Spectris*, diligentius enim illa descripsisse doctis videntur, quàm alia quæ plus ad propositum fecissent, & majore cum fructu à lectoribus cognosci potuissent.

Chronica Monachorum.

Evolventi historias quæ posteris temporibus, præsertim à Monachis descriptæ sunt, innumera hujus generis occurrunt. Hoc tamen dissimulare non possum, multa ab eis ita describi, ut lectoribus non immeritò suspecti sint.

Ludovicus vives, Beatus Rhenanus & alii viri docti nostra ætate, in descrip-

scriptione aliarum quoque rerum, de *Monachorum Chronicis* queruntur, quòd ab hominibus indoctis absque judicio collecta sunt. Quisque tamen eis tribuat quantum voluerit. Etsi verò multa in illis sint inepta & ridicula, tamen credendum est quædam saltem ita se habere, ut illi literis mandarunt.

In scriptis veterum Patrum etiam de illis apparitionibus, vel Spectris, loci hinc inde occurrunt. *D. Ambrosius scribit sermone 90. de nobili Virgine Agnete*, quæ propter Christianam religionem martyrio coronata est, parentes quum ad sepulchrum ipsius excubassent, intempesta nocte chorum Virginum vidisse aureis cycladibus amictum, inter quas filia ipsorum *Agnes* similiter vestita fuerit, quæ jusserit reliquas Virgines parumper consistere: mox conversam ad parentes suos mandasse, ne eam tanquam mortuam lugeant, sed potius ipsi congratularentur, quòd à Deo vitam æternam adepta sit: quumque hæc dixisset statim disparuisse. *Patres.*

D. Augustinus narrat in libro suo de cura pro mortuis gerenda, Felicem Martyrem, à civibus *Nolæ*, quum *Nolæ apparuit Felix.*

urbs à Barbaris obsideretur & oppugnaretur, conspectum esse.

De D. Gregorio, qui in suis dialogis multa hujus generis recenset, infrà suo loco dicam.

In omnibus ferè vitis Patrum, his de rebus non pauca legentibus occurrunt, quæ non omnia rejicienda sunt ut fabulosa & commentitia: quædam enim à magnis & gravibus viris descriptæ sunt. Brevitaris causa aliis omissis unicam historiam hoc loco recitabo.

Basiliscus mártyr Chrysostomo apparet.

In vita Ioannis Chrysostomi legitur *Basiliscum Episcopum urbis Comanæ* (is cum *Luciano Presbytero Antiochiæ*, sub *Maximiniano Imperatore martyrio* coronatus fuerat) sancto *Chrysostomo*, jam pulso in exilium apparuisse, & dixisse: Frater *Ioannes* esto bono & forti animò, cras, enim simul erimus. Prius ejus templi Presbytero apparuisse, dixisseque, Præpara locum fratri Joanni, mox enim venturus est. Vera hæc fuisse postea eventus comprobavit.

CAP.

Cap. XIV.

In libris Monachorum multæ ridiculæ & fabulosæ apparitiones continentur.

DE Chronicis Monachorum paulò antè diximus. *Quod verò legendas sanctorum, ut vocant, promptuaria exemplorum & vitas patrum attinet,* in quibus multæ apparitiones spirituum continentur, non multum illis tribuere possumus. Pleraque enim quæ in illis extant, parum sunt verisimilia: fortassis religionem & timorem hominibus fictis illis narrationibus injicere voluerunt. Sed de his nunc non est dicendi locus.

Idem dici potest de multis Pontificiis scriptoribus superstitiosis, qui hos sequuti, pleraque ex relatione aliorum scripserunt. Cæterum ne quis putet me hæc invidiæ & odii impulsu scribere, unicam adducam historiam, vel potius fabulam, ex tam multis, ut specimen habeas illius quod modò dixi.

Petrus Damianus, qui initio mona-

chus fuit ordinis Benedicti, posteà *episcopus Hostiensis*, cujus magna est in Papatu, propter doctrinæ & pietatis opinionem, authoritas: narrat quendam clericum Colonienſem, quodam tempore equo fluvium transeuntem, sanctum *Severinum episcopum Colonienſem* qui non multo antè è vivis excesserat, & sepulchro conditus multis miraculis claruerat) in illo vidisse. *Hunc apprehendisse frenum Clerici ne ulterius progrederetur. Clericum obstupuisse, & cur illic tantus vir detineretur, inquisivisse, Episcopum petiisse ut manum ei præberet, ut sentiret quomodo haberet. Quumque manum clerici aquæ impressisset, momento propter ingentem calorem carnes resolutas diffluxisse, ut nuda ossa tantùm apparerent. Ad quem Clericus, Quum sis tam celebris in ecclesia, qui fit ut ita crucieris. Respondit Severinus, Hanc solum ob causam, quod horas canonicas per distincta horarum spatia non absolvi, fui enim in aula Imperatoris, consiliis ejus occupatus. Manè omnibus coacervatis, toto die negotiis aliis fui implicatus: ideo hujus ardoris fero supplicium. Sed omnipotentis Dei auxilium uterque imploremus, ut manum tuam restituat: quod statim factum est, Et dixit*

S. Severinus episcopus Colonienſis.

dixit ad Clericum: Vade fili, obsecra fratres ecclesiæ nostræ, & alios Clericos, ut pro me preces fundant, & indigentibus eleemosynas distribuant, sacrificiorumque votis insistant. His enim peractis, ego mox ex tormentis illis liberabor: & expectantibus me beatorum civium choris latus adjungar.

Ex hac narratione ita argumentati sunt, si bonus ille sanctus *Episcopus*, qui obrutus mole negotiorum Imperatoris, ad Reipublicæ utilitatem spectantium, non statutis horis pensum suum absolvit, tam miserè excarnificatus est, quid de illis fiet, qui nullis negotiis necessariis impediti, frigidè horas canonicas simul absolvunt, vel prorsus omittunt, ut voluptatibus suis & vanis rebus possint indulgere. Hinc omissionis rerum nobis à Deo præceptarum, nulla fit mentio. Sin verò Episcopi Pontificii hanc narrationem veram esse credunt, cogitent quæso quo modo se excusaturi sint in Dei judicio, quod sinunt se Episcopos creari Ecclesiarum, quarum tamen nullam prorsus rationem habent: sed negotiis duntaxat secularibus sese immiscent, vel si res Ecclesiasticas tractent, huc omnia eorum consilia tendunt,

ut Verbi Dei ſinceram prædicationem impediant, illoſque opprimant, qui de promovenda gloria divina dies noctesque cogitant. Hujus ſunt pleraque alia quibus Monachi libros ſuos referſerunt.

CAP. XV.

Probatur ex aliis ſcriptoribus idoneis, Spectra interdum apparere.

QUod ad alios inſignes ſcriptores attinet, faciunt & illi ſpectrorum quæ interdum appareant, mentionem. *Alexander ab Alexandro Neapolitanus, celebris jureconſultus lib. 2. genialium dierum, cap. 9. ſcribit de quodam familiari ſuo non fluxæ fidei homine, quod amici funus curarit, & quum inde Romam reverteretur, nocte inſtante in diverſorium viæ proximum diverterit, & ibi ſe quieti dederit. Quumque ſolus degeret & adhuc vigilaret repente amici nuper defuncti imago ſummo pallore & macie, ac eo ferè habitu oris, quali illum quum ægrotaret dimiſerat, ad ſe acceſſerit: quem quum fuiſſet intuitus, &*

præ

præ timore nec animo nec mente satis constaret, quisnam esset interrogarit. Illum autem, quum nihil respondisset, exutis vestibus, in eodem cui ipse incumbebat lectulo se collocavisse, ac propè accessisse quasi eum amplexurus. Alterum verò ad lectuli spondam secessisse, illumque propius accedentem abegisse, & pedem illius usque adeò gelidum contrectavisse, ut nulla glacies huic frigori potuerit comparari. Istum alterum torvè inspicientem resumptis mox vestibus è lectulo surrexisse, nusquam postea apparuisse.

Alias quoque hujus generis historias ibidem recitat, quæ sua ætate contigerint. Vixit autem ante annos 80. aut circiter.

Baptista Fulgosus Genuæ dux, in opere suo de dictis & factis memorabilibus Imperatorum, Principum, Ducum, &c. quod urbe pulsus ne ocio mœroreque contabesceret, *conscripsit, lib. 1. cap. 8. De prodigiis scribit*, In area ædium *Matthæi Vicecomitis*, qui magnus dictus est, post occasum solis quum jam vesperascceret, visum esse virum armatum in equo longè humanæ specie majorem: qui ubi à multis conspectus fuisse per horæ spatium, postea

postea evanuerit, magno eorum qui rem viderant, horrore. Triduo quoque post tertia noctis hora, eodem in loco duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti fuere: qui postea, ut antea alter solus, evanuerunt. Non multo post tempore *Henricus VII. Imperator* ex hac vita decessit, non sine clade *Vicecomitum.*

Huic historiæ statim aliam subjungit superiore memorabiliorem *Ludovici Alodisii* pater, qui Immolæ rerum potitus est, haud diu postea quam decesserat homini à secretis, quem filius *Ludovicus Ferrariam* mittebat, in itinere equo insidens cum accipitre (ut in aucupio mos ei fuerat tenere) apparuit. Huicque quanquam magna capto formidine dixit: Ut filium juberet postero die in eum ipsum locum venire quoniam magni momenti res ei prædicturus esset. Ea re audita, *Ludovicus*, tum quia non credebat, tum quod insidias metueret, alium suo loco misit, Ei illa ipsa umbra quæ ante apparuerat obviam facta, vehementer indoluit quòd filius non venisset: longè enim plura se dicturam ei fuisse affirmabat. Sed tunc illud tantum re-

ferri

ferri jussit, quod transacto secundo & vicesimo anno, ac præterea uno mense, die quoque addita, urbis imperium quod obtinebat, esset amissurus. Ut tempus quod umbra prædixerat, advenit: adhibita magna cura ea ipsa nocte, milites ducis *Philippi Mediolanensis* (cui is fœdere junctus erat, & propterea ab eo non metuebat) glacie magna constrictis fossis, ad muros penetrarunt, admotisque scalis urbem cum ipso Principe ceperunt.

Philippus Melanchon scribit in lib. suo de anima, quod ipse quædam Spectra viderit, & multos fide dignos homines norit, qui affirmarint quod non tantum viderint *Spectra*, sed etiam diu cum eis colloquuti sint. *In lib. suo quem inscribit Examen Theologicum*, hujusmodi recitat historiam: se habuisse amitam, quæ ubi mortuo marito assideret foco tristior, duo domum ejus ingressi sint: quorum hic in mariti specie, se *maritum* esse mulieris defunctum dicebat: alter procerus *Franciscani Monachi* formam induerat, Hic maritus ad focum accedens mœstam salutat uxorem, eamque sine metu esse jubet, asserit que se venisse ut quædam

ei mandaret: hinc longum Monachum tantisper in hypocaustum secedere jubet: inde sermonem exorsus, sacrificulos tandem conduci, qui missas recitent, maximo pere orat, obsecrat & obtestatur impense: atque discessurus sibi dexteram porrigi jubet: perterrefactæ autem ex horrescentique, quum se nihil damni daturum promitteret, dexteram illa dat: quæ etiamsi non læderetur, tamen usque adeò uri videbatur, ut semper manserit nigra. Postea evocat Franciscanum, & simul egressi incunctanter evanescunt. *De Spectris aliis quæ ipse & alii viderunt, scribit Ioh. Manlius in locorum communium collectaneis, tomo primo, in cap. de malis spiritibus & ipsorum operibus: item de Satisfactione.*

Ludovicus Vives lib. 1. *De veritate Fidei tradit*, in novo orbe recens invento, nihil esse tritius, aut vulgarius, quam non de nocte solùm, sed medio die ac luce occurrere manifestò spiritus in urbibus & agris qui aliquid loquantur, jubeant, vetent, infestent, terreant, feriant. Eadem etiam alii recitant, qui navigationes illas Oceani descripserunt.

Aliquot hujus generis apparitiones

Hiero-

Hieronymus Cardanus Mediolanensis, insignis Philosophus & Medicus, *in libris suis de Subtilitate & varietate rerum*, recenset: quas qui volunt cognoscere, libros illos consulant: ego enim brevitati studeo.

Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis in historia sua de gentibus Septentrionalibus, lib. 2. cap. 3. tradit in Islandia Spectra apparere forma hominum ipsis notorum, quibus incolæ dexteram dant, prius quam de obitu illorum, quorum hæc formam assumunt, quicquam audiverunt, nec antè dolum intelligi, quàm illa evanescant.

Hæc ex veteribus & recentioribus historicis, & aliis scriptoribus proferre volui, ut intelligatur *Spectra* interdum apparere.

Cap. XVI.

Spectra apparere docet quotidiana experientia.

His omnibus accidit, quòd nemo inficiari potest, quin multi honesti, & fide digni homines utriusque

que ſexus, quorum multi adhuc vivunt, quidam ex hac vita migrarunt, affirmarunt & adhuc affirment, quòd aliquando noctu, aliquando interdiu *Spectra* viderint & audiverint. Aliquis ambulat in ſuis ædibus, Spectrum adeſt, canes etiam, interdum animadvertunt, applicant ſe pedibus dominorum, nolunt ab eis diſcedere, nam & ipſi ſibi metuunt. Aliquis it cubitum, & ſe ad quietem componit, aliquid adeſt, ſtragulam vellicat, aut detrahit: aliquando ei inſidet vel in lectum quoque ſe componit: aliquando in cubiculo ſpatiatur. Viſi ſunt homines pedibus ambulantes, aut in equis, ignea interdum forma, noti multis, multò antè aut recens defuncti. Factum etiam eſt ut quidam qui in præliis cæſi, aut naturali morte ſublati ſunt, ſuos vocarint, & ex voce agniti ſint.

Spiritus opem petunt.

Sæpe noctu auditi ſunt ſpiritus quidam lento gradu incedere, ſcreare, gemere: interrogati quinam eſſent, reſponderunt, ſe hujus vel illius animam eſſe, & maximos cruciatus perpeti. Si quis interrogavit, quomodo ex tam diris cruciatibus liberari poſſint reſponderunt, Si certus Miſſarum numerus celebretur, peregrinationes ad

divos

divos instituantur, & alia hujus generis opera in eorum gratiam fiant, se liberandas. Postea multa luce & gloria apparentes, dixerunt se liberatas esse, suisque benefactoribus ingentes gratias egerunt: promiserunt se quoque apud *Deum & divam Virginem* pro illis intercessuras esse. Non autem semper sacrificos aut alios audaces & impios homines fuisse qui se animas esse mentiti sint, ut suprà de multis dictum est, hinc potest intelligi, quòd etiam in illorum cubiculis clausis apparuerunt, qui quum irent cubitum diligenter adhibita lucerna inquisiverunt, num quis ibi lateret. Solent hodie quoque multi prius quàm in lectum se componant, omnes Angulos perlustrare, ut securius dormire possint: tamen nonnunquam audiunt quosdam ejulantes, &c.

Sæpissime hoc est factum, ut qui fuerunt in domo aliqua putarint aliquem ollas, patinas, orbes, mensas subvertere, & per scalas dejicere: postquam dies illuxit, viderunt omnia suis locis fuisse collocata.

De quibusdam verò spiritibus fertur, quod januam ex cardinibus evulsam abjecerint, omnia in domo turbarint

rint & everterint, sed postea suo in loco non reposuerint, quodque tumultuando homines vehementer perturbarint.

Noctu in Monasteriis, & locis solitariis aliquando auditur strepitus, non secus quàm si vietores vasa vinaria religent stipentque, aut alii opifices sua opificia exerceant, cùm omnes certum sit cubitum iviſſe seque somno dediſſe.

Ædificantes noctu audiunt spiritus.

Quando extruuntur domus, vicini noctu audiunt fabros lignarios, cementarios, & alios artifices non aliter omnia tractare, quàm si labori diurno intenti essent: hoc ostentum ut faustum plausu excipitur.

Sunt qui Physica ratione fieri putent: ut quæ interdiu audivimus, noctu nos quoque audire putemus: quam quæstionem doctioribus discutiendam relinquo.

In fodinis dæmones sunt.

Metallici testantur in aliquibus fodinis *Spectra vel spiritus* videri, qui more aliorum metallicorum induti sint. Hi in puteis & cuniculis oberrant, videnturque in omni laborum genere se exercere, quum tamen nihil agant, fodere venas, quod effossum est congerere, in vasa infundere, machinam versoriam

soriam tractare: Rarissimè metallicos dicuntur lædere, nisi cachinnis aut maledictis ab eis lacessiti: tunc glareis eos petunt, aut aliâs eos lædunt. Præcipuè verò in illis fodinis versari dicunt, quæ metallis abundent.

Scripsit ad me vir pius & doctus, Davosii in Alpibus Rheticis argenti fodinam esse, in quam Consul illius loci (*Londamanum* vocant) *Petrus Buol*, vir egregius. superioribus annis sumptus fecit, & ex qua opes non exiguas collegit. In illa spiritus vel dæmon montanus fuit, qui quum metallici res fossiles infunderent vasis, plerunque diebus Veneris, valde negotiosus esse visus fuerit, metalla suo arbitratu ex uno vase in alterum infundens. Quod *Consul* ille non indignè tulit: quoties in fodinam descendere voluit, vel ascendere, cruce se muniens nunquam læsus est. Accidit autem ut quum spiritus ille die quodam valde importunus esset, id metallicus quidam molestè ferens, convitiis eum incesserit jusseritque eum abire in malam rem additis diris & execrationibus. Spiritus ille, operarii caput apprehendens, ita eum torsit: ut facies in tergum verteretur, non tamen extinctus fuit; sed diu postea obtorto

obtorto vel inverso collo superstes, multis qui etiamnum vivunt familiariter notus fuit, & intra paucos demum annos è vivis excessit.

Georgius Agricola, cujus doctissimi libri de rebus metallicis publicè extant, in fine libelli sui de animantibus subterraneis, duplex genus facit illorum dæmonum qui in quibusdam fodinis versantur. Dicit enim quosdam truculentos esse & terribiles aspectu, qui plerunque metallicis infesti atque inimici sint. Talem fuisse Annebergium quendam qui operarios duodecim amplius, flatu interfecerit, in specu qui *Corona rosacea* appellatur. Flatum verò emisisse ex rictu, equi enim specie visum esse. Ejusmodi etiam fuisse *Snebergium*, nigro cucullo indutum, qui in fodina *Georgiana* operarium è solo sublatum in superiori loco maximæ cujusdam concavitatis, quondam feracis argenti, collocarit, non sine corporis atritu.

Deinde dicit quosdam mites esse, quos *Germanorum* aliqui ut etiam Græci vocent *Cobalos*, quod hominum sint imitatores. Nam quasi lætitia gestientes ridere: & videri quod multa faciant, quum prorsus nihil faciant;

ciant ; ab aliis nominari virunculos montanos , significantibus parvam eorum staturam qua plerunque conspiciuntur. Videri autem seneciones & vestitos more metallicorum , id est, vittato indusio , & corio circum lumbos dependente induti. Hos damnum non dare metallicis nisi lacessitos : sed eos imitari. Non dissimiles esse scribit illis quos Germani *Gutelos* vocant , eo quòd generi humano amici esse videantur : curant enim jumenta & alia faciunt. Item illis qui *Trulli* vocantur , quos sexu tam mulieris quàm viri mentito , quum apud alias nationes , tum maximè apud *Sujonas* in famulatu fuisse dicant.

De his *Spectris metallicis* leguntur etiam quædam apud *Olaum Magnum de gentibus Septentrionalibus cap.* 10. *lib.* 6.

Qui in Oceano navigant referunt in quibusdam locis quos *Antropophagi* incolunt, multa Spectra versari,& gentes illas multis malis afficere.

Per quietem homines vident, & cùm in ecstasin incidunt.

Hoc loco miranda possent proferri de visionibus quæ hominibus per quietem oblatæ sunt , item de illis, qui extra se rapti , diem integrum & diutius immoti jacuerunt, mortuis similes: po-

stea sibi restituti, multa retulerunt quæ interea viderint.

Cicero mira scribit in libro suo de divinatione. Item *alii.* Ipse quoque *August.* hinc *inde in suis libris recitat*, quòd quidam defuncti alios de multis rebus admonuerint, res arcanas & futuras quoque eis patefecerint, remedia ægrotis ostenderint, aliaque hujus generis fecerint.

Avenzoar Albumaron medicus Arabs, scribit se à medico nuper defuncto per somnum accepisse optimum oculo suo ægrotanti remedium: teste *Marsilio Ficino de immortalitate animorum lib. 16. cap. 5.*

Sacræ quoque literæ nos docent, Deum hominibus per insomnia multa revelasse. Mat. 1. & 2. capite scribit Angelum aliquoties Josepho Christi servatoris nostri nutritio somniis apparuisse, eique jussisse ut sibi ab insidiis quæ Christo parabantur, caveret.

De D. Petro legimus in Actis Apostolorum 10. cap. quòd in ecstasin ineiderit, viderit que cælum apertum, ac descendens ad se vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis adligatum summitti è cælo in terram, in quo fuerint omnia quadrupedia terræ bestiæque

& reptilia & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum : Surge Petre macta & vescere.

Cap. 16. D. Paulo quum adhuc in Asia degeret, & Troadem descendisset, hæc visio per noctem oblata fuit. Vir quidam Macedo stetit & deprecatus eum dixit, Profectus in Macedoniam succurre nobis. Hinc Paulus colligebat, hoc esse Dei consilium, ut mare trajiceret, & in Macedonia Evangelium annuntiaret.

Sed de *visionibus* & *Spectris*, quæ dormientibus offeruntur, non statui scribere, ne liber nimis excrescat, sed de illis tantùm quæ vigilantes sensibus nostris percipimus.

Cap. XVII.

Obitum hominum, prælia, & insignes mutationes, præcedunt aliqua ostenta & præsagia : audiuntur subiti fragores, aut alia id genus.

Sæpe fit ut hominibus lethali morbo decumbentibus, aliquid audiamus incedere, non aliter quàm illi

solebant, quum bene haberent: quin ægroti ipsi hæc sæpe audiunt, & quid futurum sit statim præsagiunt. Aliquando priùs quàm ex hac vita decedant, aliquando mox post eorum obitum, aut multò post, imagines eorum, vel aliæ humanæ formæ cernuntur. Non raro etiam accidit, ut quum morituri sunt nostri, etsi multis miliaribus à nobis sejuncti sint, tamen aliqui exaudiantur fragores & strepitus. Putamus aliquando domum ruituram, vel ponderosum aliquid per totam domum decidere, & inconditum sonitum edere: post aliquot menses tandem intelligimus, hæc illa ipsa hora accidisse, quà nostri ex hac vita migrarunt. Sunt homines ex quorum cognatione nullus moritur, quin præsagia & signa quædam præcedentia observent: ut quod audiunt fores vel fenestras aperiri & rursus claudi, aliquid ascendere per scalas, in domo vagari, aliaque hujus generis fieri.

Hoc tamen loco non est dissimulandum quòd multi superstitiosi homines sibi ipsis persuadent, hunc vel illum cognatum aut amicum brevi morituram. Signo enim aliquo id ipsis significasse, tandem res ipsa ostendit fuisse

vanam

vanam & stultam persuasionem. *Cardanus scribit in libris suis de varietate rerum*, de nobili quadam familia *Parmensi*, ex qua quoties quis est moriturus, conspicitur sub camino vetula quædam. Tempore quodam illa apparuit, quum puella quædam illius familiæ decumberet: ideo desperabant de ejus vita, sed ex morbo recreata fuit: interea alius quidam incolumis illius familiæ subitò expiravit.

Fuit mihi notus Parochus quidam, vir honestus & pius, qui, grassante peste, præscivit si quis in parœcia sua moriturus esset ex peste. Noctu enim supra suum lectum sonitum audivit, ac si quis saccum frumento plenum ex humeris super tabulatum deponeret: hæc audiens dicebat, Iterum quidam mihi valedicit. Postquam illuxit, interrogavit quinam illa nocte obiissent, aut peste correpti essent, ut eos consolaretur & erigeret, prout bonum pastorem decet.

Sæpe etiam in Curiis observatum est, si Senator aliquis vicinus fuit morti, fragorem juxta sedile ejus, vel aliud signum futuræ mortis exauditum esse. Idem fit juxta sedilia in templis, & aliis in locis, in quibus homines sæpe

versati sunt, vel artificia sua exercuerunt.

In cœnobiis, monachi, servi & alii inciderunt in lethalem morbum: noctu audiverunt multi parari ipsis loculum, non aliter quàm postea ab arculariis paratum fuit.

In pagis cùm aliquis moriturus est, sub vesperam, vel noctu in cœmeteriis aliquando audiuntur, qui palis sepulchrum effodiunt: postero die non aliter effoditur, quàm ante à quidam audierant.

Aliquando noctu, lucente luna, visi sunt qui funus pro more gentis cum pompa deducerunt, aut ante ædes consisterent, ac si aliquis efferendus esset. Multi suam imaginem se putant videre, vel, ut dicunt, suam animam: multisque persuasum est, quòd nisi illi qui seipsos ita viderunt, brevi post moriantur, diutissimè victuri sint. Sed hæc superstitiosa sunt: quisque non aliter se paret, quàm si cras sibi moriendum esset, ne securus sibi ipsi malum accersat.

Alia quoque miranda accidunt. Detinentur vincti in carcere, de quibus sumendum est supplicium: noctu, in arcibus, auditur magnus tumultus,

ac si aliqui carcerem effracturi essent, & liberaturi captivos: Accurrentes neminem vident vel audiunt amplius, captivi quoque nihil se audivisse affirmant.

Carnifices referunt se plerunque scire, num aliquis ipsis tradendus sit quem supplicio afficiant: gladios enim ipsorum moveri. Sunt qui dicant se præscire ipsum genus supplicii quo captivi è medio tollendi sint.

Circa infelices illos homines qui sibi ipsis manus inferunt, miranda accidunt. Avehenda interdum fuerunt eorum cadavera per longum iter, ut in profluentem culeo inclusi, projicerentur: bennæ vel carro impositos equi in descensu collium vix trahere potuerunt, in ascensu verò equis non fuit laborandum, cùm sponte incitato cursu carrus ferretur.

Aliquis à latronibus interceptus fuit, accedentibus latronibus ad cadaver, statim cœpit recentem sanguinem stillare, aut aliis signis præsentiam latronis significare. *Plato l. legum* 1. *tradit eorum qui occisi sunt animas, sæpe interfectorum animas hostiliter insequi. Unde Marsilius Ficinus fortè contingere putat, ut occisi hominis vulnus* *Lib.* 16. *cap.* 5. *de animorum immort.*

etiam jacente cadavere in eum qui vulneraverat, si modò ille cominus instet, vulnus ipsum inspiciens, sanguinem rursus ejiciat, quod quidem evenire Lucretius affirmarit, & judices observarint. Dido apud Virg. minatur Æneæ: Et cùm frigida mors animā seduxerit artus, Omnibus umbra locis adero, dabit improbe pœnas. Similis locus est apud *Horat.* & alios Poëtas. Latro assedit mensæ, everso poculo, vinum per solidum lignum mensæ manavit, omnium magna admiratione.

De his & aliis mirandis rebus possent multæ historiæ & multi testes produci.

Omnes verò qui hunc librum legerint, & hæc & alia seipsos vidisse, aut ex suis amicis, & notis, fideque dignissimis hominibus audivisse, memoria repetent.

Imminentibus mutationibus imperiorum, bellis, seditionibus, aliisque difficillimis temporibus, plerumque res mirandæ contra naturæ cursum in aëre, terra animantibus contingunt. Ostenta, portenta, monstra, prodigia vocant. In aëre conspiciuntur gladii, hastæ & innumera alia: audiuntur aut videntur in aëre vel terra exercitus

citus concurrentes, & in fugam compulsi, clamores horribiles armorumque sonitus exauditur. In armamentariis movent se bombardæ, hastæ, bipennes, & alia armorum genera. Cum exeundum est in hostem, & signa militaria non volant; sed signiferorum capita involvunt: si milites sunt consternati, omnino stragem imminere sibi præsagiunt. Ferunt equos quoque mœstos esse, & dominos suos vix sessores admittere, si infeliciter pugnandum sit: alacres verò & hinnientes victoriam protendere, Equorum greges quos Julius Cæsar vagos dimiserat, ubertim flevisse *Suetonius* tradidit. *Equi idem præsagiunt.*

Cùm *Miltiades* expeditionem faceret contra *Persas*, ante aciem terribiles sonitus auditi sunt, & visa *spectra* quæ *Athenienses* postea dixerunt fuisse speciem Panos, qui tantum terrorem *Persis* incusserit, ut se fugæ traderent, Inde *Panici terrores* postea dicti sunt, de repentinis & subitis terroribus & consternationibus, quales sunt lymphatici metus, quibus correpti etiam mente carent, &c. *Panici terrores.*

Priusquam *Lacedæmonii in Leuctrica pugna* vincerentur, arma in templo *Hectoris* sonuerunt. Eodem tem-

pore. *Thebis* in templo *Herculis* valvæ clausæ repagulis, subitò se ipsæ aperuerunt, armaque quæ fixa in parietibus fuerant, ea humi sunt inventa. Hæc leguntur *apud Cic. lib. de Divinatione.*

Romanæ historiæ.

Bello punico secundo, signifer primi hastati signum non potuit movere loco: nec quicquam profecerunt plures cùm accederent: Hæc & alia rerum futurarum signa C. *Flaminius Consul neglexit*, mox concisus exercitus atque ipse interfectus est, qua de re T. *Livius* prolixè scribit. Initio *belli Marsici* ex occulto auditæ sunt voces, & armorum sonitus, quæ pericula belli denuntiarunt.

Plinius scribit 2. lib. cap. 56. armorum crepitus & tubæ sonitus auditos esse è cœlo, *belli Cymbricis*, crebroque prius.

Appianus annotat, quæ portenta & prodigia bellum civile antecesserint: hominum immanes voces, armorum strepitus, equorum cursus inspectante nemine auditos fuisse.

Val. Max. tradit l. 1. c. 6. de prodigiis, C. *Pompejum* præmonitum fuisse, ne prælium committeret cum Julio nam cùm Dirrachio solverent, milites ipsius,

ipsius, subito consternati sunt: noctu quoque subitò animi eorum conciderunt. Postea addit id quod *Cæsar ipse 3. libro de civili bello*, memoriæ prodidit, quo die prælium secundum fecit *Cæsar*, *Antiochiæ in Syria* bis tantùm exercitus clamorem, & signorum sonum exauditum esse, ut in muris armata civitas discurreret. Hoc idem *Ptolemaide* accidisse refert. *Pergami* in occultis & remotis templis quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant, tympana sonuisse.

De Castore & Polluce historici memoriæ prodiderunt, non semel in præliis: in equis albis visos esse contra hostiles exercitus fortiter pugnare. Plutarchus scribit in vita Coriolani, eos in pugna contra Tarquinium conspectos esse, & statim victoriam Romæ nuntiasse, Idem scribit Livius lib. 8. decadis 1. Castor Pollux

In historia obsidionis Magdeburgi amplissimæ urbis in Saxonia, legitur, hostes qui urbem illam obsidione premebant, putasse, quoties cives eruptione ex urbe facta, velitares pugnas commiserunt quòd quidam in equo albo aciem civium præcederet, cùm

tamen cives neminem conſpexerint.

Quàm miranda ſigna urbis *Hieroſolimorum* everſionem præceſſerint, recitat *Joſephus in libris ſuis de bello Judaico*: nempe æneam portam clauſam repagulis, noctu ſeipſa aperuiſe, Ante ſolis occaſum, quadrigas in aëre conſpectas, & exercitus armis bene inſtructos urbem circundediſſe. Die Pentecoſtes cùm ſacerdotes templum ingrederentur, ut cultibus divinis vacarent audiviſſe ſtrepitum, mox vocem, Migremus hinc. Alia quoque id genus recenſet, quæ non eſt neceſſe hoc loco repetere. Ea nocte qua *Leo Conſtantinopolitanus* in templo fuit interfectus, navigantes in mari vocem audiverunt in aëre, quæ dixit ἄπιμεν Λέων τὴν δε Ἀμπελάικε.

Felix Maleolus utriuſque juris doctor, Præpoſitus, Salodorenſis, & Canonicus Tigurinus vir multæ lectionis, uti ex ſcriptis ipſius, quæ adhuc extant, facilè apparet: (vixit autem circa tempora concilii Baſilienſis) ſcribit in *libro ſuo de Nobilitate cap.* 30. in hiſtoria *Rodolphi regis Romanorum* extare quod *Rodolphus* quum prælio *Othocarum regem Bohemiæ* viciſſet in campo ubi prælium commiſſum fuerat, per-

pernoctarit, quodque intempesta nocte lemures exercitum horribili clamore & tumultu turbarint.

Quod autem *lemures* fuerint, hinc apparuisse, quòd fumi instar disparuerint. *Idem cap. 26. scribit anno Domini* 1280. *prædicante ad populum Plebano* (*ut vocant*) *ecclesiæ Tigurinæ*, apud tumbas vel sepulchrum Martyrum *Felicis & Regulæ*, ibidem patronorum lapidem violenter nullo movente confractum, instar tonitrui horribilem sonitum edidisse, ut toti populo non aliter terrorem incuteret quàm si testudo templi corruisset: *eodem anno* 3. *die Octobris* maximam partem oppidi *Tigurini* conflagrasse: & motus quoque propter censuras Ecclesiasticas & banum, ut vocant, imperialem, inter cives fuisse exortos. *Anno Domini* 1440. *die* 12. *mensis Decembris*, in templi dicti dedicatione, intempesta nocte, similem fragorem esse exauditum mox verò secutum est bellum civile, quod *Tigurini* contra reliquos *Helvetios* per septem & amplius annos varia fortuna gesserunt.

Idem *author c.* 33. *scribit*, iisdem temporibus, *anno domini* 1444. ante fortissimam illam pugnam quam

pauci *Helvetii* contra ingentes *Ludovici Delphini Franciæ* copias prope mœnia urbis Basilienſis, tempore conflictus commiſerunt, aliquot noctibus circa illa loca auditos eſſe militum clamores, armorum ſonitus, pugnantium ſtreptius &c. Alia hujus generis plurima dedita opera prætermitto. Extant enim de prodigiis veterum & recentiorum libri, ex quibus hæc peti poſſunt.

CAP. XVIII.

Spectra interdum videri & audiri, & alias res mirandas accidere, confirmatur teſtimoniis ſacrarum literarum.

OBjicitur nobis non proferri teſtimonia *ſacrarum literarum* de his rebus: præcipuè quòd ſpectra interdum hominibus offerantur. Reſpondeo, Verum quidem eſſe, quòd pauca de eis in *ſacris literis* obvia ſint, tamen quædam extant. *Matt. 14. cap. legitur de diſcipulis, quod in lacu noctu, cùm propter ventum adverſum in magno periculo conſtituti eſſent, & Dominus die mox illuceſcente aquis inambularet, perterriti clamarint, putantes*

ſe-

se spectrum videre. Inde colligimus ipsos non latuisse quòd *spectra* in aquis & terris hominibus apparuerint. Item quum Dominus redivivus discipulis suis appareret, eosque veræ suæ resurrectionis certos reddere vellet, putabant se *spectrum* videre ubi Dominus non negat spiritus & spectra esse, & interdum conspici, sed confirmat potius, inter se & spiritus vel spectra discernens. Sed de his duobus testimoniis suo loco plura dicemus.

Historia memorabilis est quæ legitur in 2 *lib. Samuelis de Saule, qui cùm à Palæstinis bellum ei inferretur, & in maximo esset periculo, mulierem Pythonissam accessit, eamque rogavit ut Samuelem è mortuis suscitaret, ut eum de eventu belli consuleret. Ipsa excitabat quendam, quem Saul quidem Samuelem verum esse putabat, qui ei exponebat quisnam belli exitus futurus esset. An autem verus an fictitius Samuel fuerit, suo loco plenius disputabimus.*

Quòd ad alias res mirandas, etiam quædam in sacris literis occurrunt. 2 Samuelis 5. & 1. Paralip. 14. habemus Palæstinos ascendisse secundò in Judæam, ut Davidi bellum inferrent. Is rem

ad

ad Dominum retulit, qui præcepit ei, ut cum suo exercitu se abderet post nemus, & ubi audiret strepitum vel sonitum in cacuminibus arborum excitari, eos adoriretur. Volunt autem hunc sonitum portentosum fuisse. 2 Reg. 6. & 7. c. scribitur Deum urbem Samariam quæ perniebatur obsidione à Benhadado Syrorum rege, maxima annonæ difficultate liberasse. Noctu enim hostes strepitum curruum, hinnitum equorum, & fremitum ingentis exercitus in suis castris audiverant: putantes igitur regem Israelis pedestres & equestres copias collegisse, fuga salutem quærebant, commeatum & alia in castris relinquentes. 1 Sam. 7. c. Deus sonare fecit vocem magnam super Philistæos, & contrivit eos. Intelligo insolito sonitu perterrefactos; ut facilè vincerentur.

Danielis 5. cap. legis Balthasarem regem in luxurioso convivio è regione candelabri vidisse manum quæ in pariete scribebat, quisnam ipsius futurus esset exitus.

2 Machab. 3. cap. legitur Heliodoro Seleuci regis Asiæ ministro, spoliaturo templum Hierosolymitanum, equum apparuisse, in illo equitem formidabilem, qui impetum in ipsum facturus videba-

tur,

tur. Huic latus claudebant duo adolescentes liberali forma, qui flagellabant Heliodorum. 2 Machabæorum 10. Judas Machabeus præliatus est cum hostibus, quumque prælium vehemens esset, apparuerunt hostibus de cœlo viri quinque in equis frænis aureis insignibus, qui Judeos ducebant : duo verò Machabæum protegebant. Machabæo item eques apparuit, splendente veste, armis aureis, hastam suam concutiens : insigni & præclara victoria, 2 Machab. 11. cap.

Hæc non propterea adduco, quòd eodem loco *libros Machabæorum* habeam cum libris Canonicis veteris & novi fœderis : sed quòd conjuncti sint illis, & à quovis legi possint. A veteribus quoque semper lecti fuerunt. Etsi enim dogmata ex illis non probarunt, tamen magnæ apud eos fuerunt authoritatis.

CAP. XIX.

Quibus, quando, ubi, quomodo, Spectra appareant, & quidnam efficiant.

EX his omnibus perspicuè intelligimus, quòd multa miranda hominibus offerantur, quòdque interdum Spectra cernantur, & audiantur, non solum (ut quidam opinati sunt, teste *Plutarcho* in vita *Dionis* à pueris, mulieribus, morbis confectis, deliris, vel alioqui simplicibus hominibus: sed etiam fortibus, & illis qui mentis compotes sunt. Negari tamen non debet, quin quibusdam plura occurrant quàm aliis velut iter facientibus, vigilibus, venatoribus, aurigis, nautis, qui non solùm interdiu, sed noctu quoque in itineribus, aquis, sylvis, montibus & vallibus degunt. Reperies aliquem qui per totam vitam nihil harum rerum vidit vel audivit: è contrà sunt qui multa viderunt & audierunt. Sic sunt qui rarissimè in serpentes incidunt, è diverso quibus in itinere subinde multi occurrunt. Vulgò dicitur, illis

quorum

quorum natalis in angarias incidit, (ita vocant quatuor anni tempora) plura *Spectra* apparere, quàm alio tempore in lucem editis: sed meræ nugæ sunt. Qui constantes sunt in vera fide, rarius hæc vident vel audiunt, quam superstitiosi, ut in aliis quoque rebus. Superstitiosus aliquis utitur benedictione aliqua, ut vocant, ad sanandum morbum equi, & succedit: incantat serpentem, & non movetur loco: benedictione utitur ad sistendum sanguinem, & statim consistit: virgulam habet divinam, vel furcatam & incantatam, quæ movetur ubi metalla latent: vera fide præditus qui hæc contemnit sit enim legibus divinis, imò Pontificiis quoque adversari) etiam si illa adhibeat, nihil tamen efficit. Ita ipsi quoque rarius Spectra apparent, quam superstitiosis. Scit enim quid de illis sentire & judicare debeat. Sunt homines qui putant sibi honorificum esse, si multa hujus generis ipsis appareant.

Apud nos quum superstitionibus dediti essemus multò plures fuerunt hujus generis apparitiones & miracula: quàm ex illo tempore quo *Euangelium* purè prædicetur, causam inferius assignabo.

Sæpe

Quidam vident & audiunt aliquid, alii non.

Sæpe etiam fit ut aliquis clarissimè aliquid vel videat vel audiat, aliter qui ei adstat, vel eum comitatur, nihil videat, nihil audiat.

In *historia Helisæi* legimus ipsum vidisse currus igneos, & equites in monte puerum ipsius nihil vidisse donec propheta orabat ut ad confirmationem & consolationem Dominus oculos ejus aperire dignaretur quo ingens hoc miraculum ipse quoque videre posset. *Ita in Actis Apostolorum 9. cap. legitur quod Christus Paulum ante Damascum prostraverit, eique loquutus sit, & comites ipsius vocem audiverint. Postea 44. cap. Paulus ipse Hierosolymis in castris præsente Lysia toti populo narrans quid cum eis gestum sit, dicit eos vocem secum loquentis non audivisse: quæ non pugnant invicem. Nam sensus est, Eos vocem vel sonitum audivisse quidem sed non intellexisse quid Dominus ipsi loquutus sit.*

Quæstio solvitur.

Socratis dæmonium.

Plato scribit in Theagem, Socratem habuisse familiarem spiritum, à quo solitus fuit admoneri, ut desisteret ab agendo, quando id quod facturus erat, non feliciter casurum esset: hunc ipse non vidit, alii eum non audiverunt. Aliquando pueros quædam cernere dicunt,

dicunt, quæ alii non cernunt; peculiari quadam naturæ vi etiam quidam vident, quod alii non.

Quo tempore spectra appareant.

Quò ad tempus quando appareant *Spectra*, legimus in historiis post mille annos fatales, quibus *D. Joannes in Apocalypsi, prædixit Satanam ex vinculis liberandum; hoc est, errores, superstitiones, scelera in mundo grassatura esse, multa Spectra passim apparuerunt.* Plus enim homines ferè illis tribuerunt, quàm ipsis *Scripturis. Spiritus* apparuit vel auditus est, qui dixit, Si hæc vel illa instituantur, putà peregrinatio votiva, sacellum, & Deo gratissimum fore cultum. Episcopi & parochi non expenderunt num illa sacris literis convenirent nec ne, &c. *Spectra* olim apparuerunt, adhuc die noctuque apparent, præcipuè verò noctu: & ante intempestam noctem primo somno. Item diebus Veneris, Saturni, & diebus jejuniorum, ut confirment superstitiones. Non autem mirari debemus hæc noctu sæpius quàm interdiu audiri. *Ille enim quo authore hæc ferè fiunt, in sacris literis princeps tenebrarum vocatur, & lucem Verbi divini refugit.*

Etsi verò omnibus in locis hæc audiuntur

Quibus in locis.

diuntur & videntur, præcipuè tamen in campis illis in quibus prælia commissa, vel in locis ubi supplicia de sontibus sumuntur: in sylvis in quas olim adjurarunt dæmonas expulsos ex hominibus: in templis, monasteriis, circa sepulchra & limites regionum atque agrorum in carceribus, domibus, arcibus aliquando in ruinis & ruderibus arcium.

Monstra deserti.

Deus comminatur *Esaiæ* 13. *cap. Babyloniis, illis in locis, ubi magnifica sua palatia habuerunt & choreas duxerunt, Faunos & Satyros saltaturos* Cap. 34. *ubi omnibus gentibus & hostibus Dei exitium minatur, dicit, In dirutis & eversis palatiis, arcibus & domibus, occurrent spiritus horrendi ululis, & Satyrus ad comparem suum clamabit quin & Lamia istic requiem suam quæret.* Dei enim permissu, mali dæmones illis in locis, in quibus superbiam, & tyrannidem homines exercuerunt, res miras agunt.

Quomodo & quibus formis appareant.

Modus autem apparitionis spirituum, ut ex illis quæ suprà protulimus exemplis liquet, varius est & multiplex. Variis enim formis se offerunt: aliquando forma hominis nobis noti, qui in vivis est, vel jampridem vita defuncti,

functi, aliquando forma hominis nobis ignoti.

Audivi ex viro gravi & prudente, ditionis *Tigurinæ* præfecto, qui asseverabat se æstate summo manè cum servo suo iter facientem per pascua, vidisse quendam sibi optimè notum qui equæ sese nefariè commisceret: se obstupefactum reflexisse iter, pulsavisse ædes illius quem putabant se vidisse, atque certò comperisse, quod ille cubiculo suo nunquam egressus esset. Et nisi omnia diligenter exploràsset, bonus & honestus vir in carcerem detrusus & tormentis subjectus fuisset, &c.

Hanc historiam ideo recito, ut judices in hujusmodi casibus cauti sint. Diabolus enim hac via sæpè innocentibus insidiatur. Uxor *Henrici secundi imperatoris, Chunegunda*, suspecta fuit de adulterio, rumoresque sparsi, quod nobili quodam juvene in aula nimis familiariter uteretur. Diabolica enim illius juvenis species è cubiculo Augustæ egrediens sæpe conspecta fuit. Illa postea calcando ignitos vomeres (ut illis temporibus fieri consuevit absque ullo pedum detrimento suam innocentiam declaravit. *Albertus Cranzius libro quarto, capite quinto Metropoleos.*

Eremi-

Eremitis & monachis multi spiritus habitu & forma muliebri apparuisse legitur, qui ad res venereas eos allexerunt, apparent etiam forma brutorum animantium, nunc quadrupedum, ut canis, porci, equi, hirci, catti, leporis, nunc volatilium vel serpentium, ut forma corvi, noctuæ, bubonis, anguis, draconis, quorum gentiles multos in templis & etiam domi suæ habuerunt & nutriverunt, ut passim videre est apud Poëtas. Aliquando spiritus forma grata & jucunda, aliquando horribili apparuerunt. Nunc visus est aliquis equo vehi, nunc pedibus incedere, vel brachiis & pedibus niti. Nunc visus est vir igneus, nunc sanguinolentus, nunc ventre dissecto viscera propendere visa sunt. Interdum umbra solùm apparuit, aliquando manus, aliquando instrumentum aliquod, putà baculus gladius aut simile aliquid, quod spectrum in manibus habuit. Aliquando apparuit instar ardentis fasciculi straminis aliquando vox tantùm rauca audita est, aliquando in conclavi auditum est *Spectrum* inambulare, folia in libro aliquo vertere, pecuniam numerare, alea ludere, vel parietem pulsare. Aliquando auditur mirabilis

sonus

sonus vel strepitus, ac si eminus bombardæ exonerarentur, Spectra etiam brachio aliquando arreptum, vel capillis, comitata sunt.

Olaus Magnus scribit lib. 3. cap. 11. de gentibus Septentrionalibus, nostra quoque ætate monstra quædam, vel spiritus formam aliquam assumentes, multis in locis regionum Septentrionalium, noctu præsertim, choreas ducere ad concentum instrumentorum musicorum varii generis. Incolas vocare *choream Elvarum*. Hac de re etiam apud *Saxonem Grammaticum in historia Danica* quædam leguntur. His non dissimilia sunt quæ *Pomponius Mela, libro tertio in descriptione Æthiopiæ tradit*, ultra *Atlantem Mauritaniæ montem*, noctu per sæpe visa lumina, & crepitus cymbalorum, ac fistularum cantus auditos: nec die repertum quenquam. *Solinus cap. 38. & 44. scribit*, in hoc ipso monte *Ægipanes* suos choros passim habere, horum etiam *Plinius libro 5. capite 1.* meminit. Sentiunt *Panes*, *Faunos* ac *Satyros* esse, de quibus multa apud veteres extant.

Choreæ spirituum.

Panes. Fauni. Satyri.

D. Hieronymus scribit in vita Pauli Eremitæ, *Antonio Hippocentaurum*

apparuisse qualem Poëtæ esse perhibent. Inter saxosam vallem, dicit, haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque & hoc *Antonius* Spectaculo, scutum Fidei & loricam Spei, ut bonus prælitator arripuit. Nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito gradum pressit *Antonius*, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis Eremi, quos vario delusa errore, gentilitas, *Faunos*, *Satyrosque* & *Incubos* vocans, colit: Legatione fungor gregis mei: Precamur ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, &c.

Hoc loco à nobis silentio prætereunda non erit memorabilis illa historia quam *Plutarchus in suo libello de defectu oraculorum interprete doctissimo viro Adriano Turnebo, his verbis recitat.* De dæmonum obitu narrationem quandam de homine nec stulto nec vano accepi: nam *Æmiliani Rhetoris*, ex quo nonnulli etiam vestrum hoc audi-

audiverunt, *Epitherſes* pater fuit, municeps meus, *Grammaticæ* profeſſor: is narrabat quum aliquando Italiam cógitans navigium conſcendiſſet, quod non ſolùm mercium magnam vim, ſed vectorum etiam magnam turbam ferret, ſub veſperam ad *Echinadas* inſulas penitus flatum ſiluiſſe, navique in ſalo fluitante, & tandem ad *Paxas* delata, pluribus tum vigilantibus, multis etiam poſt cœnam conpotantibus, è *Paxis* repente vocem auditam eſſe cujuſdam, *Thamum* inclamantis, ita ut admirarentur. Erat autem *Thamus Ægyptius gubernator*, multis, qui in navi erant, nomine ignotus. Bis igitur inclamatum ſiluiſſe, tertiùm vocanti, paruiſſe: illum majore vocis contentione imperaſſe, ut quum ad *Palodes* pervectus eſſet, *Pana magnum mortuum eſſe nunciaret*. Hoc audito Epitherſes conſternatos omnes ſtupore dicebat: quumque deliberarent, quod imperatum erat faciendum eſſet, nec ne, hac de re ſic *Thamum* cenſuiſſe, Si flatus ſpiraret ſilentio prætervehendum eſſe: ſin à ventis eſſet eo in loco quies & tranquillitas, quod audierat eſſe prædicandum. Igitur ad *Palodes* perlatis, quum aura nulla

esset, nec unda, prospectantem è puppi *Thamum* in terram, exclamasse ut audierat, *Pana magnum esse mortuum*: continuoque quum vix dum finiisset, sequutum esse ingentem non unius, sed multorum gemitum, admiratione mixtum: & quòd muliti affuissent, narrabat rei famam celerrimè dissipatam esse *Romæ*, *Thamumque à Tyberio Cæsare* accersitum: *Tyberium* verò usque adeò huic rei adjunxisse, ut quis ille *Pan* esset, interrogaret & quæreret. Doctos autem homines, quos circum se frequentes habebat, censuisse: *Pana* eum esse, qui ex *Mercurio* & *Penelope* natus esset, &c.

De præparat. Evang. lib. 5. cap. 9

Hæc & similia *Eusebius*, qui hanc historiam etiam recitat, accidisse refert ad illum *Tyberii* tempus, quo *Christus* cum hominibus conversatus, omne dæmonum genus ab humana vita depulit. Alii religionis nostræ sanctissimi viri asserunt, *ut Paulus Marsus in suis annotationibus in lib. 1. Fastorum Ovidii annotavit, eam vocem auditam è Paxis ea nocte, quæ sequuta est passionis Dominicæ diem, decimo nono anno Tyberii, quo quidem Christus passus est*: qua voce miraculo quodam ex solitudine desertorum scopulorum edi-

ta,

ta, nunciatum illud sit, Dominum & Deum nostrum passum. *Pan* enim totum significat: totius autem & universæ naturæ dominus passus erat.

Addit etiam *Theodosium* dicere, hunc Deum *Arcades* colere, *appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non sylvarum, sed universæ substantiæ materialis dominatorem significare volentes. Cujus naturæ vis universorum corporum, sive illa divina sive terrena sint, componat essentiam. Licet autem ad Solem referat, tamen si quis diligenter advertat, altiùs mysteria tendere; &c.*

Huc pertinent quæ de venatione dæmonum referunt, item de mortuorum choreis, quæ etiam non sunt unius generis. Audivi de quibusdam qui se illas conspexisse affirmarent. Omnes formas quibus apparuerunt spiritus, nemo potest recensere. Etenim cacodæmon, qui plerunque harum rerum author existit, potest se, ut Poëtæ de *Proteo* fabulantur, in omnes formas convertere. *Venationes diabolicæ*

Hæc *Spectra* aliquando iter facientibus viam intercludunt, abducunt eos à recta via, terrent eos, ut una *Quid efficiant illa Spectra.*

nocte aliquando caneſcant. Memini me talem hiſtoriam audire à pio & docto viro *Ioanne Willingo*, vetere meo amico, de quodam qui ante paucos anno in *comiatu Hanavienſi*, noctu in *Spectrum* quoddam incidens, tantùm fuit mutatus, ut quum domum rediret, à ſuis filiabus agnitus non fuerit.

Spectra ſæpe ſomnum hominibus rumpunt, efficiunt etiam ut domos ſuas multi relinquere cogantur, neque aliis eas elocare poſſint. Aliquid interdum evertunt, homines concutiunt, petunt eos ſaxis, atque ita eos lædunt in fortunis, corpore: vitam aliquando, Deo permittente, eis eripiunt. Sæpenumero accidit, ut illis qui *Spectra* viderunt, audiverunt, vel ab illis affati ſunt, os & facies tota intumeſcat: aliquo furore corripiuntur, id quod experientia notum eſt.

Factum etiam memini, ut quidam putantes ſe videre armatos à quibus capiendi eſſent, ſibi manus inferri conati ſint: quod Sataniæ artificio fieri poteſt. Spectra etiam pecora in paſcuis noctu interdum conturbant.

Hæc de prima hujus opuſculi parte, in qua ſpero me planum feciſſe

atque

atque probasse, quòd etsi complures sint, qui sibi ipsis falsò persuadent se *Spectra* vidisse, vel unum pro alio intuiti sunt: nihilominus tamen *Spectra* existere, & alias quoque res mirandas interdum accidere.

Adjeci, quibus præcipuè, ubi, quando, quomodo, vel quibus formis appareant, & quid interdum efficiant vel operentur.

Qui multiplicia hæc & consentientia testimonia *veterum* & *recentiorum* prorsus negare audet, indignus (meo quidem judicio) videtur, cui affirmanti aliquid credamus. Nam ut magnæ levitatis est indicium, si quis promiscuè omnibus, qui affirmant se *Spectra* vidisse statim credat: ita ex opposito, maxima est impudentia, si quis omnia quæ à tot, & fide dignis *historicis*, *Patribus*, & aliis magnæ authoritatis & gravibus viris affirmantur, temerè & impudenter rejicit.

SECUNDA PARS
HUJUS LIBRI
OSTENDIT

SPECTRA

Illa & alias res mirandas, non esse animas hominum: sed vel bonos vel malos angelos, aut alioqui arcanas quasdam operationes.

CAP. I.

Gentilium, Judæorum & Turcarum doctrina vel fides, de animabus separatis à corporibus.

IN secunda parte hujus libri, considerandum est quidnam sint hæ res, quæ, ut suprà ostendimus, die noctuque audiuntur & cernuntur; an sint animæ mor-

mortuorum, nec ne: quid *veteres* de illis senserint, & quid nos *Sacræ literæ* de his doceant.

Plato existimat excellentes & heroicas animas, tanquam puriores sursum evadere: cæteras ignavas & voluptatibus corporum contaminatas, humi vagari circa sepulchra, & has judicat esse *Spectra* quæ sæpe cernuntur. *Plato.*

Alii quoque scriptores ethnici ajunt se eo moveri, ut existiment animas hominum post mortem superstites esse, quia certissimum sit multa *Spectra* passim vagari, & sæpe audiri & conspici: sæpe etiam colloqui cum hominibus, putant enim pleraque animas esse. Vetustissimus scriptor *Tertullianus in libro suo de Anima*, scribit sapientes gentilium qui statuerunt animam esse immortalem (quidam enim ut *Epicurei*, putarunt animas cum corporibus interire) docuisse animas sapientum si à corpore discedant, sedes suas habere in sublimi, aliorum ad inferos dejici.

Ad hæc gentiles sentiunt animabus, nisi corpora à quibus per mortem abjuncta sunt, legitimè sepeliantur, errandum esse, priusquam quietem inveniant.

niant. Quapropter horribile fuit aliquem inhumatum abjicere: id quod videre est passim apud Poëtas. *Hector apud Homerum rogat Achillem, ne cadaver suum canibus & alitibus projiciat, sed patri suo seni Priamo, & matri suæ Hecubæ sepeliendum tradat. Patroclus in somnis apparet Achilli petitque ut ei justa persolvat: alioqui eum portas inferni adire non posse, animabus sepultorum eum longè repellentibus*, quod exemplum *Tertullianus* adducit, simulque vanam hanc gentilium opinionem refellit. *Palinurus rogat Æneam apud Virgilium, ut terram sibi injiciat, hoc est cenotaphium ei erigat:* sic autem nominabant sepulchra quibus licet aliquis non inferebatur, tamen in honorem ipsius fiebant, *Deiphobi* umbram transvectam scribit *Virgilius*, cui *Æneas* cenotaphium fecerat: inanem enim & imaginariam sepulturam dicunt etiam valere. Adhæc senserunt *Gentiles* animas illorum qui ante justum tempus vita defuncti sunt, præsertim qui violenta morte perierunt, quos βιοθανάτους vocant, ut qui laqueo vitam finierunt, qui aquis submersi, qui decollati fuerunt, &c. tam diu errare quàm diu vixissent, nisi violenta

morte

morte fuissent extincti quam opinionem *Tertullianus* etiam impugnat. *Plato scribit de legibus libro 9. animas illorum qui interfecti sunt, sicarios persequi, ut eos lædant:* quod nisi metaphoricè intelligas, similiter est repudiandum.

Apud Judæos catholica fides fuit, animas mortuorum vel quiescere, nempe si in fide *promissi Messiæ* objissent, vel damnari, si absque pœnitentia in peccatis suis è vivis excessissent, non autem redire in has terras: *Jobus enim 7. capite dicit. Quemadmodum nubes deficit ac præterit, sic qui descendit ad inferos non ascendet, nec revertetur in domum suam, &c. Si dicas Iobum fuisse,* de *Davide* scriptum est, quòd quum in maximis periculis esset, & mors ejus oculis observaretur, *precatus sit Psalmo 31. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; Ecclesiastes, 12. cap.* Spiritus revertetur ad Deum qui dedit eum. *In libro Sapientiæ* qui à *veteribus Philoni tribuitur*) *3. cap. scribitur: Animæ justorum sunt in manu Dei, nec tanget eos cruciatus. E contra, animas impiorum descendere in infernum. Psalmo* 49. scribitur de opulentis qui propter opes suas à Deo ejusque præceptis

Fides Judæorum.

deficiunt: Sicut *oves in inferno positi sunt: mors depascet eos, & infernus habitatio eorum, &c.* Si Judæi credidissent animas cruciari in *purgatorio*, procul dubio inter tot species sacrificiorum quæ obtulerunt pro viventium peccatis, saltem unum aliquod genus sacrificii pro redimendis animabus, aut minimùm mitigandis cruciatibus habuissent. Animas verò redire, se conspiciendas præbere, & opem petere, in *veteri Testamento* nusquam invenies, sed contrarium 2 *Samuel* 12. *dicit David de filiolo suo, quòd revocare eum non posset, se velle ire ad illum, illum non reversurum ad se. Siracides* 38. *cap. Ex morte non est reditus.* De apparitione Samuelis mox suo loco dicam.

Posteris verò seculis, longo post *Christum* exhibitum tempore, aliquot fuisse apud *Judæos*, qui senserint animas separatas à corporibus, errare: hinc colligi potest quòd quidam ex *Rabinis* scribunt, animam *Nabothi* (qui propterea ab *Achabo* interfectus fuit, quòd *Achabo* vineam suam tradere nollet) fuisse spiritum illum, qui suam operam in decipiendo *Achabo* promittebat, ut qui expeteret ejus interitum.

Tur-

Turcæ quoque credunt animas immortales esse, & vel in quietem, vel tormenta à corporibus separatas pervenire. An verò sentiant animas in terras redire & hinc inde vagari, atque apparere hominibus, in *Alcorano* ipsorum disertè invenire non potui.

Cap. II.

Papistarum doctrina de animabus, earumque apparitione.

PApani superioribus aliquot seculis, publicè docuerunt scripseruntque, *Spectra* quæ conspiciuntur & audiuntur, aut bonos aut malos angelos esse, vel animas illorum qui in æterna felicitate, in *purgatorio* aut loco damnatorum versentur. Pleraque verò animas esse quæ opem & liberationem ab hominibus expetant. Cæterùm ut hæc ipsorum doctrina, totumque negotium planius intelligatur, paulò uberius ex ipsorum libris à nobis repetenda erit. *Jacobus de Clusa Carthusanus* Theologiæ doctor, librum scripsit de apparitione animarum separatarum à corporibus: impressus est *Burg-*

dorfi in oppido ditionis *Bernenſis* anno à nato *Chriſto* 1475. qui multa ſuperſtitioſa habet.

Quatuor animarum receptacula.

Pontificii doctores ſuper 4. *librum Sententiarum*, quator receptacula ſive loca conſtituunt, in quæ animæ à corporibus ſeparatæ, deferantur. Tria ex illis receptaculis dicunt perpetua eſſe, unum ad tempus definitum durare.

Cœlum empyreum.

Primum receptaculum, vel primus locus, eſt *cœlum empyreum*, quod eſt ſedes beatorum, hæc alio nomine in *ſacris literis paradiſus* nominatur. *Secundus locus* eſt *infernus* ſub terra, habitaculum dæmonum, infidelium, adulterorum, & perverſorum Chriſtianorum in peccato mortali ſine pœnitentia hinc exeuntium. *Tertius eſt limbus puerorum* tam fidelium quàm infidelium hinc ſine *baptiſmatis ſacramento* exeuntium: quos ſine pœna ſenſibili perpetuo ibi victuros eſſe dicunt, ſed facie Dei privandos. Ideoque corpora ipſorum non debere in cœmeteriis ſacratis poſt obitum ſepeliri. *Quartus locus eſt Purgatorium*, quod illis paratum ſit, qui hinc exierunt abſque mortalibus peccatis, aut ſi commiſerunt mortalia peccata, tamen pœni-

Purgatorium.

tentiam

tentiam egerunt, sed non plenè satisfecerunt: aut cum venialibus solis hinc exiverunt.

De hoc loco, nempe *purgatorio*, Pontificii mira tradunt. Quidam dicunt *purgatorium* etiam sub terra esse sicut *inferos*. Alii dicunt quòd *infernus* & *purgatorium* unus idemque locus sit, licet pœnæ sint differentes, secundum merita animarum. Adhæc super terram plura esse loca pœnarum in quibus animæ defunctorum purgentur. Etenim in hoc vel illo monte, fluvio, valle, hanc vel illam animam conspectam esse, ubi peccatum admisit: & ista esse particularia purgatoria ex speciali causa ipsis à Deo deputata ante diem judicii: post quem omnia *purgatoria*, tam generale quàm particularia cessatura sint. Quidam dicunt pœnam *purgatorii* eandem esse cum pœna *inferni*: in hoc tantùm differre, quòd illa terminum habeat, hæc non: & levius esse omnem pœnam hujus mundi, quam omnes homines ab *Adamo* passi sunt, ferre usque ad diem ultimi judicii, quàm minimam illarum pœnarum uno die sustinere. Item, nostrum ignem, si conferatur cum igne *purgatorii*, esse instar picti

Particularia purgatoria.

picti ignis. Consule doctores super *quartum librum sententiarum distinctione* 20.

Hanc quoque movent quæstionem, Per quos animæ separatæ à corporibus in *purgatorio* puniantur: variæ sunt ipsorum & discrepantes de hac quoque re sententiæ.

Quis animas in purgatorio cruciet.

Richardus de media villa Franciscanus in Sent. scribit, se credere animas per angelos bonos deportari ad locà tormentorum; sed eas non punire eò quòd cives eorum futuri sint. Neque puniri per dæmones postquam enim homo è vivis excessit, non amplius tentant animas) sed per divinam justitiam. Posse tamen fieri, ut dæmones præsentes sint, eorumque pœnis lætentur. Hæc de *purgatorio* paulò verbosius adducenda existimavi, ut videas doctores ipsos dissentire in doctrina tanti momenti, per quam homines opibus suis spoliarunt, eosque in tantum mœrorem conjecerunt.

Animas redire in terras.

Addunt his, spiritus tam bonorum, quàm malorum, ad viventes homines ex *inferno* venire vel mitti. Secundùm Legem communem justitiæ, omnes in die judicii venturos ex *inferno* ut judicentur; nec quenquam antea ex *inferno*

ferno exire. Cæterùm secundùm dispensationem divinam concedi, ut aliqui etiam ante diem judicii de inferno exire possint, non in perpetuum, sed ad tempus, idque propter eruditionem & terrorem viventium. Recitant varias visiones, aliquos scribunt condemnatos clericos & Laicos, utriusque sexus homines, suis pœnitentiariis vel aliis apparuisse, causas suæ damnationis eis aperuisse, quæ omnia hoc loco referre non est operæpretium. Animas verò quæ sunt in æterno gaudio vel in purgatorio, frequenter apparere, ex homiliis & dialogis *D. Gregorii* posse perspici, qui scribit *Petrum & Paulum* alioſque sanctos, sanctis non solùm apparuisse, sed & animas eorum ad cœlestia gaudia deduxisse. Deum autem ex duobus illis locis, animabus redeundi in terras ideo copiam facere, partim ut viventes consolentur & commone faciant, partim ut opem ab eis expetant. Non tamen quandocunque, & quotiescunque vellent eas redire. Magnum profecto est illorum hominum acumen.

An optandum sit ne spiritus se nobis offerant.

Movent hanc quoque quæstionem doctores, an peccatum sit, postulare

ut

ut animæ se vivis conspiciendas præbeant. Hunc cuneum ad solvendum illum inexplicabilem locum afferunt. Si non ex levitate aut vanitate fiat, sed pia intentione, ut quis cognoscat statum alicujus amici, vicini, benefactoris, parentum & aliorum, ut eos citò liberet ex tormentis, non peccare; Animas enim defunctorum sponte se vivis ostendere, ut eis subveniatur: nihil igitur obstare, quo minus hoc à Deo postulemus, In hac sententia est *D. Thomas de Aquino.*

Ubi, quando quibus & quomodo animæ appareant.

Quo ad locum & tempus, ubi & quando se spiritus exhibeant conspectui nostro, nullam certam regulam dicunt præscribi posse: hoc enim in Dei arbitrio positum esse, qui si statim aliquem liberare velit, mox & in locis ubi audiri possit, sinat eum apparere: spiritus autem non semper apparere visibili forma, sed invisibili: sternutationem, fereatum, gemitus & complosionem manuum aliquando tantùm audiri &c, qua de re suprà quædam annotavi, quando in genere de *Spectris* dixi, quòd diversis modis appareant. Ubicunque autem sint, pœnis affici dicunt. Adhæc animas non cuivis apparere, nec cuivis respondere ad interrogata

rogata, sed ex multis vix uni. Proinde inquisitionem harum apparitionum præcedere debere jejunia & preces : id quod *Danielem* fecisse, *Dan. 10. & 11. capite* exprimatur : item confessionem peccatorum: celebrationem Missarum : Adhæc non statim fidem adhibendam audito aliquo signo, sed expectandum donec ter audiamus : sicut de *Samuele puero*, *1. Sam. 3. cap.* legitur. Satanam enim sæpe hominibus illudere. His ritè peractis, accersendos esse quatuor aut quinque presbyteros devotos, qui ad locum accedant in quo se spiritus ostendere consuevit : illos certis ceremoniis uti debere, accipere candelam in die purificationis benedictam, illamque accendere, aquam lustralem, signum crucis, thuribulum, in ascendendo orare debere septem psalmos (ni fallor) pœnitentiales, aut *Euangelium Ioannis*. Ingressos locum aspergere debere aqua benedicta, fumigare : stolam quoque sanctam censent non fore inutilem : flexis genibus unum ex illis : hanc debere orationem recitare.

Quo pacto se homines gerere debeant apparentibus spiritibus.

Domine Iesu Christe, omnium secretorum cognitor, qui semper tuis fidelibus & parvulis revelare salubria & utilia

Oratio

utilia consueviſti, quique in hoc loco ſpiritum quendam ſe oſtendere permiſiſti: humiliter obſecramus benigniſſimam tuam miſericordiam, per paſſionem tuam & pretioſiſſimi ſanguinis tui pro peccatis noſtris effuſionem, ut digneris præcipere huic ſpiritui, ut ſine terrore ac læſione noſtra & omnium hominum ſe revelet: ſignificans famulis tuis nobis vel aliis peccatoribus, quis ſit, & cur venerit, quidque petat, ut ex hoc honorari valeas, & ipſe conſolationem percipiat, & fideles quoque inde ſubleventur. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen.

Liberum tamen eſſe dicunt, hac vel alia formula uti, item aliis ceremoniis: nam abſque illis ſpiritus ſæpe apparuiſſe, & quid poſtulent ſignificaſſe. Poſtea ad interrogationes ajunt veniendum eſſe & dicendum, *obſecramus per Jeſum Chriſtum, tu ſpiritus, ut dicas qui ſis: & ſi aliquis eſt inter nos cui velis reſpondere, ut nomines eum, aut per ſignum ſignifices.* Poſtea interrogandum. Sit ne hic vel ille: & ſingulos, quotquot præſentes ſunt, nominandos eſſe. Si ad nominationem alicujus, vocem edat aut pulſet, illi committendas reliquas interrogationes, vel quæſtiones:

nes : nempe, Cujus hominis anima fuerit, propter quam causam venerit, quid postulet. Si petat opem (suffragia vocant Papistæ) An Missis vel eleemosynis liberari possit. Item quot Missis, an tribus, sex, decem, viginti, triginta, &c. Quinam sacerdotes Missas celebrare debeant, religio sine, ut vocant, vel seculares. Si petit jejunia, per quas personas, quandiu, quomodo. Si eleemosynas, quas & quot, quibusque personis : an hospitali leprosario, aut aliis pauperibus largiendæ sint.

Adhæc, quo signo cognosci possit perfectè liberatum esse : & quare in *Purgatorium* detrusus sit, nulla tamen curiosa, inutilia aut superstitiosa ab eo investiganda esse, nisi sua sponte revelare atque patefacere voluerit. Satius etiam esse, ut hæc inquisitio diebus festis ante prandium à sobriis fiat, aut nocturno tempore, ut fieri solet. Si spiritus illa hora nullum signum edat, rem differendam in aliud tempus donec iterum se manifestet : relinquendam tamen ibi aquam benedictam & crucem, quia occulto Dei judicio, certis horis & personis, non omnibus se revelent. Neque metuendum ne spi-

spiritus ille personam talem in corpore lædet. Nam si talis spiritus aliquam læderet, se suspectum faceret, quòd bonus non esset.

Quibus signis boni spiritus à malis discerni possint.

Pontificii scriptores insuper quatuor modos tradunt, quibus boni spiritus à malis discerni possint. Primo loco dicunt, Si bonus sit, aliquid quidem terroris secum afferre, sed statim homines erigere & consolari. Sic *Gabriel divam virginem*, quæ ejus salutatione perturbatur, erexit. Alia quoque exempla proferunt. Secundò per speciem visibilem cognosci posse. Si apparent specie leonis, ursi, canis, buffonis, serpentis, catti, aut umbræ nigræ, facilè colligi, quòd spiritus malus sit. Bonos spiritus apparere in specie columbæ, hominis, agni, aut in splendore solis & lucis.

Considerandum etiam an vox quæ auditur, sit suavis, humilis, modesta, dolorosa, an terribilis & increpativa: ita enim loquuntur.

Tertiò observandum esse, num spiritus aliquid dicat quod pugnet cum doctrina *Apostolorum*, & doctorum ab ecclesia approbatorum: item cum fide, bonis moribus, & ritibus *Ecclesiæ* secundum jura canonica aut conciliorum

rum decreta: & contra Sanctæ Romanæ Ecclesiæ instituta. Quartò diligenter attendendum est, an in verbis, factis, gestibus ejus, præ se ferat humilitatem, cognitionem & confessionem peccatorum & pœnarum: an audiatur gemitus, ploratus, querela, an jactantia, comminatio, detractio, blasphemia. Nam ut mendicus sua mala recitat, ita spiritus opem liberationemque expetentes. Alia quoque signa habent, quibus bonos angelos à malis discernunt, sed hæc sunt præcipua.

Quod verò attinet suffragia, ut vocant, quibus animæ ex *purgatorio* evocantur, Pontificii doctores etiam quatuor assignant: scilicet *immolationem victimæ salutaris in sacramento altaris*, *eleemosynas*, *preces*, *jejunia*. His omnia alia includunt: ut peregrinationes votivas, visitationem ecclesiarum, subventionem pauperum, & divini cultus augmentationem, &c. Imprimis autem Missam collaudant, quòd ad redimendas infelices animas maximas vires habeat. Racitant multa exempla de ejus vi, aliorumque operum quæ modò nominavimus.

Quando opem ferre possimus animabus.

Multas quæstiones de illis movent, quas qui legere volunt, consulant libros

bros ipsorum hac de re scriptos & in lucem editos.

Animas liberare egregium est opus.

Neque solùm in scriptis suis, sed pro suggestu publicè docuerunt, quàm egregium & præclarum hoc opus sit, si quis animam apparentem & opem postulantem misericordia motus, his prædictis operibus ex *purgatorii* cruciatibus redimat: aut saltem eos leniat. Animas enim postea ardenter precari pro suis illis benefactoribus & vindicibus. E contrà horribile & ingens scelus esse, si quis auxilium petentibus, præsertim parentibus, fratribus & sororibus non succurrat. Nisi enim tot malis possent eripi, non tam obnixè auxilium postulatores esse. Neminem tam ἄφρονα, crudelem & immitem esse debere, ut parvas opes in illorum commodum, conferre dedignetur, à quibus tot ingentia beneficia accepit.

Si non animæ essent mortuorum quæ opem & auxilium implorant, sed *Spectra diabolica*, non juberent eos orare, jejunare, eleemosynas largiri: diabolos enim hæc omnia odio habere, ut & alia bona opera.

CAP.

Cap. III.

Quid ex illa Papistarum doctrina de apparitione animarum, sequutum sit.

His rebus effectum est, ut vulgò ferè creditum sit, quæ conspecta & audita sunt, animas fuisse mortuorum: & quicquid illæ dicant absque tergiversatione credendum esse. Atque ita vera & simplex doctrina de *invocatione Dei per solum Christum, de fiducia in meritum & redemptionem Christi, de veris operibus Christianæ charitatis, magis magisque labefactata atque oppressa fuit.* Paulatim relictis & rejectis *Scripturis sacris*, traditiones & mandata hominum, in magna authoritate esse cœperunt: imò in majore quàm ipsum *Dei verbum.* Maximi peccati loco habitum est, si quis mandata hominum violare ausus fuisset illis apparitionibus spirituum, tanquam fundamento *purgatorium* præcipuè nititur: ex illorum sermonibus, Pontificii docuerunt suis aliorumque meritis homines salutem

æternam adipiſci: id quod ipſos ſecuros atque ignavos reddidit. Nam ſi quis credat ſe poſſe homines pretio conducere, qui hæc vel illa ad liberationem vita defuncti facturi ſint, vitæ emendationem procraſtinat, aut planè intermittit: ideoque idem ei accidit quod *quinque fatuis virginibus*, de quibus *in Euangelio Matt.* 25. His apparitionibus, Miſſæ, ſimulachra, ſatisfactiones, peregrinationes religionis ergò, reliquiæ ſanctorum, vota monaſtica, feriæ, auricularis confeſſio, & alii cultus atque ceremoniæ: breviter omnia quæ ex *Scripturis ſacris* probari non potuerunt, magnam authoritatem paulatim nacta ſunt. Res eò deducta fuit, ut multi pii & ſimplices homines, genium ſuum fraudarint, ut haberent quibus ocioſos monachos & ſacerdotes alerent, & quæ ſimulacris offerrent. Sacella, altaria, monaſteria, perpetuos lychnos, anniverſaria, fraternitates & alia fundarunt, ut ſuos ex tormentis *purgatorii* redimerent. Hoc enim ut facerent nocturni illi lemures juſſerunt: mutanda aliquando illorum hortatu fuerunt teſtamenta.

Monachi magnas

His rebus ſacerdotes & monachi

parœ-

parœcias, collegia & monasteria annuis reditibus alde auxerunt: optima prædia, vineas, agros, prata, vivaria, piscinas, mancipia, jurisdictiones, magna dominia & jus gladii sibi comparaverunt. Postquam enim homines firmiter crediderunt animas redire, plerique omnia fecerunt, quæcunque illæ postularunt. *opes collegia gerunt.*

Ut autem planius intelligatur, quanti homines visiones illas, & alia hujus generis, fecerint, novos cultus instituerint, unam & alteram historiam recitabo.

Martinus Polonus archiepiscopus Consentinus, summi Pontificis pœnitentiarius, in suis Chronicis scribit, Clementem IV. *Viterbii canonizasse sanctam Eduergiam, quandam duciſſam Poloniæ miræ sanctitatis viduam, quæ inter alia memorabilia, quum canonizatio ejus per plures annos differretur, ipsa procuratori in curia Romana super eodem negotio, quum in tristitia esse, per visum apparuerit, ac eum de expeditione negotii & etiam die expeditionis certum fecerit.* Canonizatio ab ethnicis, à quibus ortum habet, apotheosis dicitur.

Festum omnium sanctorum.

Ioannes Trittenhemius Abbas Span-

heimenſis vir magna authoritate, ſcribit in *ſuis Chronicis* memoriam omnium animarum fidelium, celebrandam inſtitutam ex eo, quòd quidam monachus *Hieroſolymis* rediens, apud eremitam in *Sicilia* circa montem *Ætnam* flammas evomentem, hoſpitio exceptus ſit, & ibi ex eo didicerit multas defunctorum animas torqueri in flammis: ſed ex illis liberari per orationem fidelium, quod ſibi teſtimonio ſpirituum affirmatum aſſerebat. Hac de re etiam *Polydorus Virgil. ſcribit de inventoribus rerum, libro 6. capite 9.* Feſtum omnium ſanctorum, eandem habere originem, invenies apud *Petrum de Natalibus libro* 10. *cap.* 1. Unde colligis ad apparentium ſpirituum narrationem, feſta fuiſſe inſtituta. Similis ferè narratio extat apud *Damaſcenum*, qui ſcribit de *Macario*, quum ſecundum ſuam conſuetudinem pro defunctis preces funderet, & cuperet ſcire, nunquid illis prodeſſent, & conſolationem inde perciperent: Deus volens hoc ſervo ſuo patefacere, cranio quod exaruerat verbum veritatis inſpiravit. prorupit enim cranium in hæc verba. Quando pro mortuis oras, conſolatiunculam ſentimus.

Carthu-

Carthusianorum ordo, qui vulgò sanctissimus & severissimus habetur, simili fere de causa (qua de re ipsi monachi hujus familiæ peculiarem librum evulgarunt) initium habuit in Academia *Parisiensi* (*circa annum* 1080: ut testatur *Polydorus Virgilius*,) Celeberrimus quidam Doctor propter eruditionem & vitæ integritatem, è vivis excessit. Is quum sepeliendus esset in quodam templo, horribili voce clamavit. Justo Dei judicio accusatus sum pheretrum igitur in templo multis undique confluentibus ad hoc spectaculum per triduum reliquerunt. Secunda die clamavit: Justo Dei judicio judicatus sum: tertia die, Justo Dei judicio condemnatus sum. Quidam, ut *Vincentius Bellovacensis*, addunt, fortassis de suo, quòd ter in pheretro sese levarit. Quoniam autem celebrem & insignem hunc virum, nemo æternum periisse suspicatus fuisset, omnes obstupuerunt.

Orig. Carthusianorum.

Bruno itaque magister *Theologiæ* patria *Colonienſis*, statim omnia reliquit, & sex piis viris comitatus in locum desertum se contulit, qui *Carthusia* appellatus fuit, in diœcesi *Gratianopolitana*, ubi primum monasterium

Anima vel in cælos vel ad inferos colliguntur.

illius ordinis extruxit, qui postea ab hoc loco Chartusianus ordo dictus est. Alia quoque multa cœnobia initiò hanc ob causam, vel ob similes, fundata sunt aut locupletata.

CAP. IV.

Testimonia Verbi divini, quòd neque fidelium neque infidelium animæ, postquam sejunctæ fuerint à corporibus, in hac terra oberrent.

QUod autem neque fidelium neque infidelium animæ, postquam à corporibus abscesserunt, in his terris errent, ex sequentibus argumentis potest intelligi. Certum enim est homines vel vera fide præditos, aut fide vacuos esse, quum hinc excedendum est. Qui autem in vera fide hinc excedunt, illorum animæ statim vita æterna potiuntur: qui absque fide hinc migrant, statim æternæ damnationis fiunt consortes.

Animæ non evanescunt, neque intereunt cum corpore, ut *Epicurei* censent, neque sunt ubique ut quidam commiscuntur. De hoc negocio, firma

firma & multiplicia testimonia *sacrarum literarum* audiemus, ex quibus solis hæc quæstio disceptari potest & debet.

Joan. 3. cap. dicit ipse servator noster Jesus Christus, qui his de rebus arcanis optimè pronuntiare potest: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum: sed ut servetur mundus per eum. Qui credit in eum non condemnatur. Qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei. Joan. 5. c. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem, εἰς κρίσιν non veniet, sed transivit (nota Dominum propter rei certitudinem præteritis pro futuris uti) à morte in vitam, non dicit expianda demum esse peccata in purgatorio. *Capite sexto, Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filiũ & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum novissimo die. Item, Amen amen dico vobis, qui cre-*

dit in me, habet vitam æternam, Joan. 14. *dicit Christus Dominus, quòd nos assumpturus sit ad seipsum, ut ubi ipse est, & nos simus, &c.*

Matthæi 16. quum ablegaret suos discipulos ad prædicandum Euangelium, dicebat ad eos: *Ite in mundum universum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

2. *Corint.* 5. *cap. Scimus quod si terrenum nostrum domicilium hujus tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manufactum, æternum in cælis, &c.* Ex his locis manifestè concluditur, animas fidelium in cælestia gaudia colligi: infidelium, in æternos cruciatus, postquam à corporibus abscesserint, detrudi.

Animæ statim in locum deputatum colliguntur.

Hæc autem è vestigio fieri intelligitur ex eo, quòd *Christus* latroni in cruce ad dexteram pendenti, dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.*

In Apocalypsi 14. *cap. Et audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in Domine moriuntur,* ἀπάρτι, à modò (ut vetus versio habet) hoc est, confestim, jamjam, nul-

la

la interpoſita mora. Stephanus jam-jam lapidibus obruendus, clamat: *Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* Non enim dubium ei erat, quin confeſtim anima ipſius deferenda eſſet in gaudia cæleſtia.

Paulus dicit ad Philippenſes 1. *cap.* *Cupio diſſolvi, vel hinc ſolvere, & eſſe cum Chriſto.* Nulla hîc fit mentio *Purgatorii* in quo animas prius purgari oporteat. Si objicias illos fuiſſe viros ſanctos & martyres, dicimus etiam latroni reſipiſcenti *paradiſum* aperiri.

Neque ex cælo, neque ex inferno ante diem noviſſimum redeunt.

Quòd verò fidelium pariter atque infidelium animæ, neque ex *cælis*, neque ex inferis, in quos ſtatim ab obitu hominis collectæ ſunt, in terras ante diem noviſſimi judicii redituræ ſint, intelligi poteſt ex parabola, *de Divite purpurato, & Lazaro, Lucæ cap.* 16. *Abrahamus* enim *diviti* poſtulanti, ut *Lazarum* ad ſe mittat ad refrigerandam linguam ſuam: *Inter nos & vos, inquit, hiatus ingens firmatus eſt, ut illi qui volunt hinc* (ex ſinu *Abrahæ*) *tranſire ad vos* (ad inferos) *non poſſint, neque inde huc tranſcendere.* Quumque rogaret eum, ut *Lazarum* mitteret in domum paternam, quo fratres

suos quinque admoneret, ne & ipsi in locum cruciatus venirent, dixit illi, Habent *Mosen & Prophetas*, audiant illos. Item, Si *Mosen & Prophetas* non audiunt, ne si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

CAP. V.

Testimonia veterum patrum, quòd animæ à corporibus separatæ, in terris non errent.

AD hunc modum etiam sancti & *vetusti Patres* hoc negocium intellexerunt.

Augustinus. Nam D. *Augustinus in libr. suo de verbis Apostoli*, 18. *sermone*, dicit: Duo sunt habitacula, unum in igne æterno, alterum in regno æterno.

Lib. 1. *de* Peccatorum meritis & remissione, contra *Pelagianos cap.* 28. *tomo* 7. *Nec est ulli ullus medius locus ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.*

In præclaro illo suo opere de Civit. Dei, lib. 3. *c.* 8. dicit: *In requie sunt animæ piorum à corpore separatæ, impiorum autem pœnas luunt, donec ista-*

rum

rum ad vitam æternam, illarum verò ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reviviscant.

Justinus vetustus *Pater* scribit *in responsione ad Orthodoxos, quæst.* 75. Animæ post exitum ex corpore, statim fit justorum & injustorum discrimen: ducuntur enim ab angelis in loca se digna: videlicet justorum animæ in *paradisum*, ubi conspectio est angelorum & *archangelorum* adde & conspectum servatoris *Christi*, ut est in illo, Peregrinantes à corpore, & versantes apud Dominum. Injustorum autem animæ ducuntur in *inferni* loca quemadmodum de *Nabuc. Babylonis rege* dictum est, *Infernus infrà exacerbatus est, occurrens tibi*, &c. atque ita custodiuntur in locis se dignis usque ad diem resurrectionis & remunerationis. *Justinus.*

D. Hilarius ad 2. *Psal. in fine scribit. Animas hominum statim præmiorum vel pœnarum participes esse.* *Hilarius.*

Quò ad animas veterum ante nativitatem *Christi*, sancti *patres*, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Nazianzenus*: & quidam alii, docent Deum omnes illas quæ in vera fide venturi *Messiæ* ex hac vita decesserunt, certis in locis, quæ ipse delegit, absque dolore conservasse, orba-

tos tamen fuisse conspectu Dei. Hunc locum vocant Sinum *Abrahæ* & *Inferos*. (*Inferi* enim non semper significant locum tormentorum, sed etiam statum animarum post hanc vitam in genere,) Illos invisisse *Dominum nostrum Jesum Christum*, & liberasse: quumque ascendit in *cælos* secum duxisse. Quanquam quidam ex *Patribus*, ut *Irenæus*, *Tertullianus*, *Hilarius*, &c. opinantur novissimo demum die ascensuras in cælos. Nostro quoque tempore non desunt, qui asserant animas dormire usque ad diem novissimi judicii, quo corporibus suis iterum conjungendæ sint: sed hæc opinio caret fundamento *sacrarum literarum*. qua de re cùm alii, tum magnus ille Dei servus, *Joannes Calvinus*, elegantissimum librum edidit, in quo argumento contrariam sententiam defendentium pulchrè confutat.

1. *Petr.* 3. 4.

Dormitantii.

Calvinus.

Quoniam igitur *sacræ Scripturæ* tradunt, sicut *Patres* etiam eas intelligunt & exponunt, animas hominum, quamprimum à corporibus discedunt, vel in *cælos* ascendere, si pii fuerint, vel ad *inferos* descendere, si indeles, quodque tertius locus nudus sit, in quo animæ tanquam ex carcere liberari queant,

queant, quodque animæ neque ex *inferis* revocari possint, certè non possunt in terris vagari, & opem hominum petere. Animæ enim beatæ non indigent ope & auxilio aliorum: damnatis verò subveniri non potest, id quod etiam *D. Cyprianus martyr*, in sua contra *Demetrianum* oratione apertè testatur: Quando istinc, dicens, excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, &c.

Et si verò adducta testimonia de hoc capite doctrinæ, studiosis & amantibus veritatis sufficiant, tamen ut cumulus accedat, alia quoque testimonia ex *Patribus* proferam, qui manifestè ostendunt aliquot in locis, animas non redire aut vagari: ut omnibus qui veritati aures nondum obstruxerunt, manifestum fiat, melioribus illis temporibus longè aliam de his spiritibus, quàm posteris temporibus sub Papatu doctrinam fuisse propositam. *Animæ non ambulare.*

Tertullianus vetustissimus scriptor, in fine *libri sui de anima*, scribit, animas separatas à suis corporibus, in terris non commorari: & postquam ad inferos descenderint, neque sua sponte neque aliorum imperio ac jussu vagari, *Tertull.*

Dicit ſpiritus malos hoc dolo uti, ut ſe animas mortuorum fingant, &c.

Quòd *inferi* nulli animæ pateant, (nempe ut exire poſſint) ſatis Dominum in argumento illo *Pauperis* requieſcentis, & *Divitis* ingemiſcentis, ex perſona *Abrahæ* ſanxiſſe, non poſſe relegari renunciatorem diſpoſitionis inferni, &c. Et quanquam aliquot ejus errores notati ſint à veteribus, nemo tamen unquam hanc ejus ſententiam reprehendit.

Athanaſ. D. *Athanaſius in lib. de Quæſtionibus*, 13. *quæſt.* reſpondens, quare *Deus* non permiſerit animam alicujus eorum qui è vivis deceſſerunt ad nos redire, & enarrare qualiſnam rerum apud inferos ſtatus, & qualis ibi ſit neceſſitas, Multi, dicit, apud nos inde errores orirentur. Multi enim dæmones formas humanas inducere & in hominum demortuorū figuras transformari potuiſſent, ac dicere à mortuis ſeſe reſurrexiſſe, atq; inde multas res ementitas, & falſa dogmata de iis quæ ibi fiunt, ſpargere, idque ad ſeducendum nos & perdendū. Expendē hæc verba, quæſo.

Chryſoſt. D. *Chryſoſtomus eademferè ſcribit, homil. 19. in 8. caput Euangelii ſecun-*

cundum Matthæum : Movet illam quæstionem, curnam dæmoniaci in sepulchris versati sint nempe, ut confirmarent opinionem illam falsam, animas illorum qui violenta morte decesserunt, in dæmones verti & servire maleficis atque aruspicibus. Quam sententiam diabolus invexit, ut dejiceret gloriam martyrum, utque malefici interficerent homines quorum opera vel mala uterentur. Hæc aliena esse dicit à vero. Spiritus enim sanctorum non esse sub potestate diaboli, neque vagari probat *Scripturis*. Deinde si liceret eis oberrare quò vellent, redirent ad sua corpora. Ad hæc, si obsequerentur suis interfectoribus, illi pro maleficio mercedem acciperent. Physicis quoq; rationibus fieri non potest ut corpus hominis vertatur in aliud corpus hominis vertatur in aliud corpus : igitur nec spiritus hominis in diabolum.

Inter alia, quod propriè ad nostrum institutum pertinet, inquit : Si clamor audiatur, Anima talis ego sum : hanc orationem à fraude atque deceptione diabolica esse, non enim animam defuncti esse, quæ ista dicit, sed dæmonem, qui hæc ut audientes decipiat, confingit. Mox vetularum hæc verba,

imò

imò desipientium ducenda sunt, & puerorum ludibria. Nec enim potest anima separata à corpore in his regionibus ambulare. Justorum enim animæ in manu Dei sunt. Peccatorum verò post hunc exitum continuò abducuntur, quod è *Lazaro & Divite* planum efficitur: sed alibi quoque Dominus dicit: Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur potest anima quum à corpore abscesserit, apud nos hic errare.

Subjungit, multis è *Scripturæ* locis comprobari posse, non errare hic post mortem justorum hominum animas. Nam *Stephanum dixisse, Suscipe spiritum meum: & Paulum resolvi vel hinc solvere, & esse cum Christo desiderasse.*

De *Patriarchis* quoque *Scripturam* dicere, *Appositus est ad patres suos, adultus in senectute bona.* Quòd verò nec peccatorum animæ hic commorari possint, divitem audiendum quid dicat, perpendendumque quid petat & non impetret. Quòd si possent animæ hominum hic conversari, venisset ipse ut cupiebat, & suos de tormentis inferni fecisset certiores. Quo ex loco *Scripturæ* etiam illud evidenter pateat,

quòd

quòd post exitum è corpore animæ in locum quendam certum deducantur, unde redire sua sponte non possint, sed terribilem illum judicii diem ibi expectent.

In *concione secunda de Lazaro*, inter alia dicit: non solùm ex his quæ dicta sunt, verùm etiam ex proposita parabola liquet, quòd animæ corpus egressæ, non amplius hic commorantur, sed protinus abducuntur. *Accidit enim, inquit, ut moreretur, ac deduceretur ab angelis.* Non solùm autem animæ justorum, sed & illorum qui malè vixerunt, illuc deducuntur, atque id rursum ex alio divite perspicuum est: illo nempe de quo *Lucæ* 12. cui Dominus dixit: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam abs te.*

Concione quarta de Lazaro, apertè docet, plus credendum sacræ *Scripturæ*, quàm si quis ex mortuis rediret, vel angelus è cælo. Simul indicat mortuos non tantùm non apparere viventibus, sed causas reddit, ob quas non redeant, dicens: Si novisset hoc *Deus*, quòd mortui excitati viventibus essent profuturi, ne quaquam omisisset, neque tantum lucrum præteriisset, qui cuncta nobis utilia procurat.

Ad

Ad hæc, si assiduè erant excitandi mortui, nobisque quæ illic geruntur renunciaturi, & hoc ipsum progressu temporis fuisset contemptum: propterea perversa etiam dogmata diabolus invexisset, idque admodum facilè. potuisset enim frequenter ostendere simulachra, aut subornare qui simularent mortem ac sepulturam, mox rursus sese ostenderent, quasi è mortuis excitatos, ac per illos quæcunque vellet persuadere delusis. Etenim si nunc quum tale nihil sit, insomnia frequenter dormientibus visa, veluti eorum qui hinc decesserunt, multos deceperunt, perdiderunt, subverterunt que, multò magis id accidisset, si hoc factum fuisset, atque in mentibus hominum obtinuisset, videlicet si multi defunctorum rediissent in vitam, innumerabiles sceleratus iste dæmon dolos texuisset, multamque fraudem in vitam hominum induxisset. Eoque *Deus* occlusit fores, nec permittit aliquem defunctorum huc reversum narrare quid illic fiat ne ille accepta occasione, technas suas omnes invehat. Nam quum essent *Prophetæ*, pseudo-prophetas excitabat: quum essent *Apostoli*, pseudo-apostolos: quum Christus appareret: pseudo-

Vide quid Chrysost. ætate acciderit.

chri-

christos: quum dogmata sana inducta fuissent, corrupta inducebat, ubique disseminans zizania. Itaque etiamsi illud evenisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non verè excitatis mortuis, sed maleficiis quibusdam ac fraudibus contuentium oculis deceptis, aut quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere cœperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset confudisset que omnia: sed Deus, quem nihil latet, præcluſit illi viam ad has insidias: nobisque parcens non permisit ut quisquam unquam illinc huc reversus, de iis quæ ibi sunt narraret viventibus hominibus: docens nos, ut *Scripturis* potius credendum existimemus, quàm cæteris omnibus, propterea quòd Deus resurrectionis negotium multò dilucidius nobis commonstravit. Orbem universum convertit, errorem abegit, veritatem induxit, per homines piscatores ac viles hæc omnia peregit: denique abundè magna suæ providentiæ documenta nobis ubique præbuit, &c. *Attende hæc.*

D. Cyrillus scribit lib. 11. *c.* 36. *ad Euangelium Joan. Credere debemus, quum à corporibus sanctorum animæ abierint,* *Cyrillus*

abjerint, tanquam in manus charissimi patris, bonitati divinæ commendari: nec, ut quidam infidelium crediderunt, in terris conversari quousque sepulturæ horroribus affectæ sint: nec ut peccatorum animæ, ad immensi cruciatus locum, id est inferos, deferri, itinere hoc nobis à Christo primùm præparato, sed in manus potius patris evolare, &c.

Glossa juris Pontificii.

In *jure Pontificio. 13. q. 2. Fatendum* legimus, quòd multi credant aliquos ex mortuis ad vivos venire: sicut è contrario *Paulum est vivis in paradisum raptum esse divina Scriptura* testatur. Ad hæc verba *Glossa dicit*: Credunt & malè, quia sunt phantasmata, *ut 26. q. 5. Episcopi.*

Quid illis qui his cognitis nihilominus sentiunt animas errare in his terris, præterea proferri debeat, non video: tamen ut omnia magis in aperto sint, præcipua argumenta ipsorum breviter refellam.

CAP.

Cap. VI.

Argumenta illorum diluuntur qui animas mortuorum apparere dicunt. Primùm respondetur ad id quod quidam dicunt, Deum omnipotentem esse, ideoque contra usitatum ordinem posse agere.

PRincipio objiciunt nobis nostri adversarii, lege quidem communi animas piorum in *cælis*, impiorum in *inferno* manere usque ad novissimum diem, & non vagari: *Deum* autem dispensare posse, ut aliquando appareant, ut edoceant & commonefaciant homines. Sic *Samuelem* post obitum suum apparuisse *Sauli regi*: *Mosen* qui ante aliquot secula è vita excesserat, item *Heliam* qui igneo curru raptus erat, *Christo servatori nostro, ejusque tribus discipulis ad hoc delectis in monte Tabor*: *Lazarum* quoque *Bethanienſem* è quiete sua rediisse in terras: multos etiam alios à *Christo*, eius *Apostolis* & *Prophetis* ex mortuis suscitatos esse.

Argumenta illorum qui dicunt animas redire.

Addu-

Adducunt etiam hoc, quòd *Apostoli Christi* crediderunt sibi apparere spiritum vel animam sive *Christi*, ut quidam etiam ex *Patribus* volunt, sive alterius cujuspiam.

Ad hæc proferunt *veterum Patrum* loca hac de re, decreta conciliorum & vulgarem famam de illis qui ex mortuis redierint. Ad has rationes omnes *Deo* auspice, ordine & breviter respondebo.

Animas contra communem legem, Dei omnipotentia revocarint homines doceant, &c.

Quod primo loco objicitur, *Deo* omnia esse possibilia, hoc nequaquam diffitemur. Posset quidem *Deus* animas è *cælo* vel *inferno* deducere, earumque opera uti ad docendos, consolandos, admonendos, objurgandos homines: sed quia nullus locus, nullum exemplum in *Scripturis sacris* extat, quòd aliquæ animæ redierunt à mortuis, quæ alios ita docuerint vel admonuerint: vel quòd fideles ex mortuorum animabus aliquid didicerint aut inquisierint, hoc argumentum non possumus eis concedere. Ex omnipotentia *Dei* non quidvis est concludendum. *In schòlis dicunt à posse ad esse non valere consequutionem. Deus* enim non agit contra verbum suum & seipsum. Probandum erat eum velle ut

animæ in has terras redirent. Ita sancti patres etiam de omnipotentia loquuntur.

De omnipotentia Dei quomodo loquendum.

Tertullianus dicit contra Praxeam: Planè nihil Deo difficile sensi: quidvis de *Deo* confingere poterimus quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere ideo credendum est illum fecisse, sed an fecerit inquirendum, &c.

D. Ambrosius scribit ad Chromatium, epistolarum lib. 6. epist. 37. Quid ergo ei impossibile? non quod virtuti arduum, sed quod naturæ ejus contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile illud non infirmitatis est, sed virtutis & majestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec *Dei* virtus levitatis errorem, lege quæ sequuntur.

D. Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis, inquit, Audenter loquar: cùm omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam.

Augustinus de civitate Dei, libr. 5. c. 10. Deus dicitur *omnipotens* faciendo quod vult, non, faciendo quod non vult. Item, Potestas *Dei* non minuitur, cùm dicitur mori fallique non posse.

Mox,

Mox, Propterea quædam non potest, quia omnipotens est, &c. *Theodoretus* quoque dicit: non indefinitè enuntiandum esse, *Deo* omnia esse possibilia. Nam qui hoc absolutè dixit, omnia & quæ bona sunt, & quæ contraria, simul dixit, &c. Infirmum igitur est quod dicunt, *Deus* potest animas mittere hominibus, ut eos admoneant & doceant: igitur spiritus opem petentes, sunt animæ quæ redierunt ex *cælo* vel *inferno*. Interim non negamus (ut quidam impudenter nos calumniantur) *Dei potentiam*, quam nolumus errorum esse latibulum.

Non discendum ex mortuis Deut. 18.

Audi quid Dominus Deus noster dicat Deut. 18. *cap. Quum tu veneris in terram quam Dominus Deus dat tibi, ne assuescas facere juxta abominandos ritus gentium istarum. Non inveniatur in te qui traducat filium suum aut filiam suam per ignem, nec divinus qui divinando futura prædicit, nec mathematicus, nec veneficus, nec maleficus, nec incantator, nec consulens Pythonem, nec magus, nec à mortuis suscitans. Abominatur enim Dominus quicunque ista facit, & ob istas abominationes excindit eos Dominus Deus ante te. Sis igitur integer cum Domino Deo tuo.*

Mo

Mox promittit Prophetam magnum quem audire debeant, &c.

Isaiæ 8. cap. Si dixerint vobis, Scisci- *Isaiæ 8.*
tamini à Pythonicis divinis, qui mussitant & dissertant. An non quæque gens suos deos consulit? Num pro vivis apud mertuos? ad legem & testimonium accedant, quibus lux deest, an non secundum istum sermonem dicant: quam qui neglexerint, indurabitur & esuriet, &c.

Hinc intelligimus *Deum* expressè vetuisse, magna pœna constituta, ne quid à mortuis expiscemur & discamus. Ipse vult sufficiens noster esse doctor. *In Euangelio legitur: Mosem habent & Prophetas, illos audiant. His nunc accedunt Apostolica scripta. Deus non mittit animas* quæ nos doceant. Usitata & ordinaria via qua *Deus* nobiscum agere vult, est *Verbum suum*: hoc contenti esse debemus, non novas revelationes expectare, aut aliquid recipere quod huic non per omnia congruit. Cæterùm hac de re infrà plura sequentur suo loco.

CAP. VII.

Verum Samuelem Pythonissæ in Endor non apparuisse.

Samuelem dicunt rediisse.

QUod exempla attinet, quæ ab illis proferuntur, qui sentiunt animas mortuorum redire in terras ad viventes, primo loco dicam de apparitione *Samuelis*, de qua multa hodie quoque disputantur. Firmis autem argumentis, ut spero, probabo, verum *Samuelem* anima & corpore non rediisse, neque corpus ipsius, quod fortassis in terra jam consumptum erat, neque animam, sed *Spectrum diabolicum à Pythonissa* fuisse evocatum.

Primùm *author libri Samuelis dicit, Saulem consuluisse Dominum, hunc verò non respondisse ei, neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas.* Quòd si illi quem rejecerat, per *prophetas* in vivis agentes, vel alias ordinarias & usitatas vias respondere dedignatus est, non difficile est cogitare, eum multò minus *prophetam* vita defunctum, voluisse revocare ut ipsi responderet; præsertim cùm Lex *Dei*

Deut.

Deut. 18. minaciter prohibuerit, ut paulò antè diximus, *ne discamus à mortuis, aut ab illis veritatem inquiramus. Neque vult ut quisquam Necromantiæ, & aliis id genus diabolicis artibus det operam.*

Secundò, Si verus *Samuel* rediit, aut voluntate *Dei*, aut operatione & effectu artis magicæ factum sit, necesse est. *Deus* verò non voluit ut rediret: nam non vult ut mortui consulantur, necromantiam verbo suo damnat: contraria Spiritum *Dei* egisse, aut ut sancti facerent permisisse, aut illis affuisse, qui contra id egerunt, concedi non debet. Non autem dicere possumus quòd vi & efficacia magicæ artis hæc facta sint. Malus enim spiritus nullum imperium aut potestatem habet in animas fidelium, quæ in manu *Dei* sunt, & sinu *Abrahæ*, ut eas possit educere quando ipse vult. Non habet imperium vel in immundum & fœtentem porcum. *Nam cùm irruere vellet in porcos, ut Mat. 8. cap.* legitur, *oportuit eum ante hanc potestatem accipere à Christo*: cur igitur imperiũ haberet in animam pii alicujus hominis? Negari quidem non potest, quin *Deus* interdum multa diabolo ejusque servis, magis & ne-

cromanticis, certas ob causas permittat, ut quòd homines & pecora lædere & delumbare possunt, atque res mirandes efficere. Quòd vero *Deus* Satanæ permittat, ut corpora suscitare, aut animas in terras (præsertim è *cælis*) ciere, educere vel abigere possit, caret exemplo *Scripturæ*. Neque potest idonea aliqua causa afferri ob quam *Deus* contra usitatam & ordinariam viam, imò contra expressa mandata sua, hæc diabolo voluerit aut debuerit concedere. Nam quòd quidam dicunt, ut *Saulem* terreret, nimis leviculum & frivolum videtur: nonne aliis viis & rationibus eum terrere potuit? nonne jam antè planè consternatus erat & attonitus?

Tertiò, aut volente aut nolente Samuele reductus esset. Quòd ultro & sponte pythonissæ morem gesserit, nemo puto dicet: nam pugnat cum lege *Dei, magiam suo exemplo stabilire.* Si *Samuel* cum adhuc in vivis ageret à venefica fuisset vocatus, eam nequaquam accessisset: cur igitur crederemus eum post obitum suum ad eam venisse? Non possumus dicere quòd eum adegerit, ut invitus accederet. Diabolus enim nullum habet jus

in

in animas piorum. Magia verò ex se nullas habet vires.

Verba à Magis aut aliis peculiari modo recitata, vel characteres, vim arcanam habere, est ethnica superstitio. *Gentiles* enim crediderunt quòd conceptis verbis *Jovem è cælo deducere*, aut elicere possint, unde & Elicium nominarunt. Multi superstitiosi homines hodie quoque certis benedictionis formulis & adjurationibus morbos curare nituntur. Aliqui collo appendunt schedas quibus mirificæ voces inscriptæ sunt. An verò verba per se vim aliquam habeant, lege *Plinium libro 28. cap. 7. Lud. Cælium lectionum antiquarum lib. 16. cap. 16.*

Verba per se nullam habent vim.

Jupiter Elicius.

Quartò, si verus Samuel apparuisset, noluisset à Saule adorari. Nam in Apocalypsi 19. & 22. cap. legitur quòd Joannes angelum adorare voluerit, qui tanta mysteria ei patefecerat, sed angelus noluit hoc ei concedere. Quidam respondent, *Saulem* noluisse, *Prophetam* honore *Deo* debito afficere, sed externo tantùm atque civili, ut honestis & bene de Republica vel Ecclesia meritis viris solemus. Hebraicam enim vocem *Schachah* idem significare

quod genu flectere, procidere ad pedes alicujus. De *Abigaele* & de *Nathane Propheta* legitur quòd hoc honoris genere *Davidem regem* affecerint *Paulus* quoque docet ad *Rom. 12. cap.* ut unus alium honore afficiat. *Thomas Aquin.* scribit de locis illis in *Apocalypsi*, *Joannem* voluisse dulia non latria angelum adorare, hoc est, noluisse *Deo* debitum honorem illi deferre, sed civilem & externum duntaxat, eò quòd angelus esset à *Deo* missus: angelus tamen hoc ei noluit permittere. In *Novo Test.* legimus *Act. 10. Cornelium obviam iviſſe Petro procidiſſe ante pedes ejus, eumque adoraſſe, nimirum ut Dei Legatum, non ut Deum: Petrus* autem erexit eum dicens, Et ego homo sum. Non dixit, Rectè facis: non ut ejus, si diis placet, vicarius, pedem ei osculandum præbuit. De discipulis *Heliæ* legis, quòd *Helizæum* successorem ejus adorarint (ubi etiam verbum illud ponitur quod significat genu flectere, procidere) an verò *Propheta* hunc honorem receperit vel probarit, nec ne, non est expressum. Breviter non est probabile *Prophetam* passurum fuisse, ut rex ad pedes ipsius se projecisset, &c.

Quin-

Quintò, si verus fuisset Samuel, proculdubio ad pœnitentiam eum fuisses adhortatus, jussisset eum præstolari divinum auxilium; ipsi confidere, aut aliquam saltem attulisset consolationem, consiliumque ei dedisset, ut contra hostes populi Dei animosius pugnaret. Etsi enim *Prophetæ* homines objurgent, tamen eos iterum consolantur & erigunt. Quia verò hic *Samuel* odium *Dei* illi instillat, dicens, *Deum* illi infestum esse, eumque desertisse, non credendum est verum, sed personarum *Samuelem* fuisse.

Sextò, veteres quoque Patres scribunt verum Samuelem non conspectum esse. *Patrum testimonia.*

Tertullianus in libro suo De anima dicit, diabolum animam *Samuelis* effinxisse. Absit, inquit, ut animam cujuslibet sancti, nedum *Prophetæ* à dæmonio credamus extractam, edocti quòd *ipse Satanas transfiguretur in angelum lucis*, nedum in hominem lucis, etiam *Deum* se adseveraturus, signaque portentosiora editurus, ad evertendos, si fieri possit, electos, &c. *Tertull.*

D. Augustinus non similiter scribit de hac apparitione. *In secundo libro ad Simplicianum Episcopum Mediolan.* *Aug.*

lan. quæstio. 3. concedit potuisse fieri, ut spiritus sancti *Prophetæ*, ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis, non invitus nec dominante aut subjugante magica potentia, sed volens & obtemperans occultæ dispensationi Dei, consenserit se ostendi aspectui Regis, ex suis sedibus redierit, & loquutus sit: non tamen dissimulat expeditiorem esse solutionem, ut dicamus, spiritum *Samuelis* non verè excitatum è requie sua, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea *Scriptura* nomine *Samuelis* appellet, quia soleat imagines rerum earum nominibus appellare, quarum imagines sunt. Quis enim est, inquit, qui hominem pictum dubitet vocare hominem, quandoquidem & singulorum quorumque pictura cùm aspicimus, propria quæque nomina incunctanter adhibemus, velut cum intuentes tabulam aut parietem dicimus, Ille *Cicero* est, ille *Sallustius*, ille *Achilles*, ille *Hector*, hoc flumen *Simois*, illa *Roma*, cùm aliud nihil sint, quàm pictæ imagines. Hæc cùm ita sint, dicit, non mirum esse, quòd scriptura dicat *Samuelem* visum, etiam si fortè imago *Samuelis*

visa

visa apparuerit, machinamento ejus qui transfigurat se in angelum lucis, & ministros suos velut ministros justitiæ, &c.

In libro suo De octo Dulcitii quæstionibus, quæstione sexta, hæc omnia totidem verbis repetit. In libro suo De cura pro mortuis gerenda scribit, mitti ad vivos aliquos ex mortuis, sicut è contrario *Paulus* ex vivis in *paradisum* raptus sit. Subjicit exemplum *Samuelis* defuncti, qui *Sauli* prædixerit futura. Addit quòd hic locus aliter intelligi possit, & quòd aliqui fideles senserint, non *Samuelem* fuisse, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem qui illius similitudinem figurarit. Aliis in locis, ut postea videbimus, asserit esse tropum in his verbis: imagini enim tribui nomen illius quem repræsentat: non fuisse *Samuelem*, sed *Spectrum diabolicum*, &c.

Alii *Patres ecclesiastici*, nihil, quod ego sciam, in specie scribunt de hac historia, sed in genere docent aliquot in locis, bonos spiritus magicis artibus in terram non revocari: De *Justino* & *Gregorio* mox dicam.

In *ipsis Pontificiis decretis 26. quæst.* *Decretum Pontificia.*

5. c. *Nec mirum*, scribitur non *Samuelem* sed cacodæmonem fuisse. Indignum omnino facinus esse, si secundùm verba historiæ commodetur assensus: quomodo enim, dicit, poterat fieri ut arte magica attraheretur vir à nativitate sanctus & operibus vitæ justus? ac si non attractus est, consensit: quod utrumque de justo credere adversum est. Præstigium hoc Satanæ est, quo ut plurimos fallat, etiam bonos habere se in potestate confingit. Addit Historicus mentem *Saulis* & statum *Samuelis* describit, & ea quæ dicta & visa sint exprimens, prætermittens si vera aut falsa sint, &c. si quis vult legat reliqua ibidem.

Lyranus. Quod autem *Nicolaus de Lyra*, qui sententiam contrariam defendit *in commentario suo in libros Regum*, annotat non esse sententiam Ecclesiæ, etsi juri Pontificio inserta sit, alioqui illos qui postea sequuti sunt, non aliter scripturos fuisse: id non magni momenti esse apud nos debet. Multa enim de quibus alii postea aliter scripserunt, nihilominus tanquam sententia totius Christianæ ecclesiæ obtrusa fuerunt, quia relata fuerunt in Decret: librum.

CAP.



Cap. VIII.

Argumenta illorum qui verum Samuelem apparuisse volunt, diluuntur.

IAm deinceps illorum quoque argumenta refellemus, qui sentiunt verum *Samuelem* apparuisse Pythonissæ. Nam qui adversariorum argumenta rectè confutat, una eademque opera suam causam confirmare creditur.

Præcipuum argumentum quo utuntur qui nostram sententiam oppugnant, desumitur ex 46. *cap. Ecclesiastici*, ubi hæc verba invenies, *Samuel ante obitum suum coram Deo & Unctio ipsius testatus est, se nec pecunias ab ullo mortalium, nec ad calceamenta usque quicquam accepisse: neque verò quisquam est eum criminatus. Etiam post obitum suum vaticinatus est, & regi interitum ipsius indicavit? Vocem suam è terra sustulit, scelera populi delenda vaticinans.* Eccles. 46.

Hoc testimonium D. *Augustino* aliisque *sanctis Patribus* nonnihil negoti fecit. Etenim si diabolus, non *Samuel*,

apparuit, quomodo dicitur eum obdormiviſſe, hoc eſt, mortuum eſſe? Diabolus enim neque dormit, neque moritur. Hoc loco poſſem reſpondere hunc librum inter canonicos libros *veteris Teſtamenti* non numerari, neque controverſa dogmata illius authoritate comprobanda eſſe (id quod etiam *D. Auguſtinus in libro de cura pro mortuis agenda* confitetur) ſed quomodocunque hæc habeant, ſimpliciter dico, *Siracidem* tantùm voluiſſe hiſtoriam adducere ſecundum literam, non voluiſſe diſputare, verene *Samuel* fuerit, nec ne. Loquitur ſecundum opinionem *Saulis* & Pythoniſſæ, qui putarunt ipſum *Samuelem* ſuſcitatum eſſe.

Deinde dicunt illum qui *Sauli* apparuit, aliquoties diſertè & expreſſè *Samuelem* appellari. Indignum autem hoc eſſet, faceretque ad contumeliam tanti *prophetæ*, ſi nomen ipſius diabolo tribueretur. Si *Samuel* non fuiſſet, inquiunt, ſed malus ſpiritus, *Scriptura* vel uno verbo indicaſſet.

Ad hoc argumentum primùm reſpondeo: Uſitatum eſſe etiam in quotidiano noſtro ſermone ut per metonymiam imaginem appellemus nomine il-

Metonymia.

ne illius quem repræsentat. Ita arma vel insignia, Domini nomine cujus illa sunt nominamus. Dicis, His est *Julius Cæsar, Nero*, vel *Divus Petrus, Divus Paulus* : vel, Hic vides *Tigurum, Argentoratum, ducem Zaringiæ*, cùm tantùm sint imagines ipsorum vel arma atque insignia. In comœdia vel Tragœdia, hunc *Saulem*, illum *Samuelem*, tertium *Davidem* nominas, qui personam illorum gerunt vel repræsentant. *Virgilius lib.* 1. *Æneidos, dicit* :

Mirantur dona *Æneæ*, mirantur *Julum*, Non erat *Julus* vel *Ascanius*, sed *Cupido*, qui simulabat se Julum esse, vel qui formam ejus præ se ferebat, incessum, vultum, gestum, vocem, ut imprudenti & incautæ Reginæ venenum amoris facilius afflaret. *D. Augustinus lib.* 2. *de Mirabilibus Scripturæ, cap.* 9. *dicit, divinam Scripturam* verarum rerum nomina aliquando tribuere rerum similitudinibus. Adducit hoc ipsum exemplum, spiritum immundum vocari *Samuelem*, eò quòd se illum esse mentiebatur. Id non est fraudi *Samueli*, nec redundat in ejus dedecus : quis enim dicat honesto viro turpe esse, si aliquis

nebulo se nomine ejus vocet, & simulet se illum ipsius esse? Diabolus ipse se *Deum* esse mentitur. Pseudo-prophetæ dixerunt se veros vates esse & *Dei* servos, quin Filium *Dei Messiam*, &c. Quòd verò *Scriptura* ne verbulo quidem dicit, *Samuelem* verum non fuisse, sed *Spectrum*, hoc ideo fieri existimandum est, quod omnes ex Lege scire debuerunt, Magiam & inquisitionem mortuorum Deo displicere. Ipse *Saul*, hortatore nimirum atque impulsore *Samuele*, antea Magos quotquot invenire potuit, è medio sustulit. *Deus* non solet tropicas loquutiones ad hunc modum explanare: pleræque enim ab attentis facilè intelliguntur. Supervacaneum esset si quis diceret, hic est *Petrus*, hoc est imago *Petri*, quam nomine *Petri* vulgò appellamus per tropum.

Deinde, *Sacræ literæ* secundum opinionem & judicium hominum de rebus magis loquuntur, quam secundum rei existentiam: sic *Jesus* vocatur filius *Josephi*, ille ejus pater, cùm *Servator noster* ex casta virgine absque virili opera natus sit: multi tamen ex Judæis opinabantur eum *Josephi* filium esse. *in 1. ad Corin. 1. cap. Euange-*

lium

lium nominatur ſtultitia, eò quòd homines ſummam ſapientiam ſtultitiæ loco haberent. *Scriptura deos appellat qui nihil minus erant*, 1. Cor. 10. *cap. ideo quòd Gentiles crederent deos eſſe, & ut deos ipſos venerabantur.* Ita *Scriptura* diabolum *Samuelem* vocat, ideo quod *Saul* illum Samuelem eſſe putaret.

Adhæc ajunt cum res futuras *Sauli* prædixiſſe, *exercitum prælio vincendum à Palæſtinis, & ipſum unà cum filiis ſuis interficiendum.* Hæc omnia verè facta eſſe. Futura autem quæ ſolius Dei manu poſita ſunt, diabolum nec ſcire nec prædicere poſſe: ſed ut *Chriſtus Ioan. . . dicit, mendacem eſſe, patremque mendacii.* Ad hæc reſpondere non eſt difficile. Diabolus norat quomodo res eſſent conſtitutæ apud *Judæos & Palæſtinos*: norat utriuſque partis arcana conſilia, & bellicum apparatum. Cernebat *Iſraelitas* parum inſtructos & prorſus conſternatos eſſe. Præterea *Samuelem* jam antè *Sauli Dei* iram & pœnam comminatum eſſe: *Davidemque* in ejus locum à *Deo* ſubſtitutum: unde facile erat colligere, quid futurum eſſet, quodque *Saulem Davidi* loco cedere oporteret. Quòd

si res aliter cecidisset, sciebat *Saulem* hujuscemodi vaticinio planè consternandum & ad desperationem redigendum: qua re Satanæ qui dies noctesque hominibus insidiatur, nihil optatius accidere poterat.

Diabolus res futuras non exactè novit: ideo consulentibus oracula, ambiguè respondit; ut cum dixit, *Crœsus perdet Halin transgressus plurima regna.* Sæpe tamen unum ex alio colligit. Hac de re scribit *Augustinus de anima 26. 27. & 28. cap.* Diabolus magnum habet rerum usum, quæ res multum habet momenti in quovis negocio. Senes & exercitati, statim vident quem eventum res habituræ sint: juvenes & non exercitati, non statim id vident. Adhæc Diaboli celeres sunt & expediti. Nauta novit quando venti & tempestates orituri sint: agricolæ quoque habent sua prognostica tempestatum: peritus Astronomus ante annos plurimos eclipses solis & lunæ ad unguem potest prædicere: medicus habet dies suos criticos, pulsum, urinam, ex quibus judicare potest, victurus ne sit ægrotus, nec ne: architecti vident quando ruitura sit domus; miles exercitatus statim videt,

det, penes quem futura sit victoria. Quid mirum igitur diabolum mirè artificem, aliquid interdum prædicere? putabimusne tot annorum usum & experientiam nihil diabolis attulisse? Alias quoque vera interdum dicit, sed non alium in finem, quàm ut mendaciis suis pondus addat, & incautos in errores abducat.

Simulat etiam fictitius ille *Samuel*, se indignè ferre, quòd *Saul* eum perturbet, eique negocium facessat, quodque sibi cum ipso loquendum sit: verbis etiam *Samuelis* artificioſè utitur. Hinc multi colligunt, verum fuisse *Samuelem*. Sed quid Satan non facit ut homines seducat & in desperationem adigat? Exempla proferri illorum possent, quibus persuasum fuit se hunc vel illum vidisse, audivisse, ex sermone cognovisse, quum postea res ipsa ostenderit eos tum temporis peregrè fuisse, & ab illis multis milliaribus disiunctos. Diabolus multa hujusmodi novit facere.

Quædam etiam loca ex *vetustis Patribus* adducuntur, quæ illis suffragentur, qui existimant verum *Samuelem* apparuisse, ad quæ magna ex parte jam antè respondimus. Etsi enim

Augustinus aliquot locis in dubium vocat, an verus *Samuel* fuerit, tamen aliis in locis illorum sententiam probat, qui negant *Samuelem* fuisse, sed tropicam loquutionem esse affirmant.

Justinus.

Justinus martyr qui unus est ex *vetustissimis*, scribit *in suo colloquio cum Triphone Judæo*, animam *Samuelis* jubente *Saule* fuisse evocatam per sagam ventrilo quam. Hoc verò nemo mirari debet, statim enim idem author subjicit: sibi videri quòd omnes animæ *Prophetarum* & justorum obnoxiæ fuerint talibus potestatibus, qualem in ventriloqua fuisse reipsa credatur. Hoc nemo ex *patribus* ei concedet. Alii quoque *Græci* qui à puero philosophiæ, non *Sacris literis* operam dederunt postea ad fidem *Christianam* conversi sunt, suas quasdam habent opiniones, quæ cum Verbo *Dei* non consentiunt. Non itaque mirum cuiquam videri debet. Justinum quoque in quibusdam hallucinatum esse.

Responsiones ad Orthodoxos non sunt Justini.

Idem author, *in Responsionibus ad orthodoxos quæstione* 52. contrarium asserit, Omnia enim, inquit, quæ à ventriloqua facta sunt, facta sunt

, opera

opera dæmonis, qui sic præstrinxit spectantium oculos, ut sibi viderentur *Samuelem* videre, qui non erat. Verborum quidem veritas à *Deo* profecta, est, qui dæmoni dedit in figura *Samuelis* apparere ventriloquæ, & rem futuram demonstrare, &c. Si quis objiciat hunc librum non rectè tribui *Justino* (facit enim in eo *Origenis* mentionem & *Irenæi martyris*, quum tamen ipse prior martyrio affectus fuerit: item *Manichæorum*, qui longè post ejus tempora floruerunt: respondemus, Si hic liber non est scriptus à *Justino*, tamen ut apparet, alius quispiam vir doctus eum conscripsit: nec minor illius, quisquis fuerit, viri in hoc debet esse authoritas, quam ipsius *Justini*: nam facit cum *Scripturis*. Deinde *Justino* alios sanctos Patres opponimus qui ex *sacris literis* docueruut non fuisse *Samuelem*, nempe *Tertullianum & Chrysostomum*, de quibus suprà dictum est. De sancto *Gregorio* postea audiemus, pium quidem & doctum fuisse, sed nimis credulum & simplicem.

Si sancti *Patres* absque *Scripturarum* testimoniis aliquid affirment, ipsimet negant ipsis esse subscribendum. *Pontifices decreto inseruerunt ex* *Gregorium.*

D. Aug-

D. *Augustini dictis*, *q. 9. c. Noli.* Nemini ex *Patribus* credendum esse, nisi sua ex *Sacris literis* confirmarit. Jam multi ex eorum scriptis tantùm errores decerpunt, & quæ illi testimoniis *Sacrarum literarum* probant, rejiciunt: non secus quàm illi filii, qui bonos suos parentes tantùm in rebus malis imitantur, Boni enim viri suos quoque nævos habent.

CAP. IX.

Utrum diabolus specie fidelis hominis alicui apparere possit.

QUæris an diabolus possit sancti alicujus hominis, qui è vivis excessit, speciem repræsentare. De hoc non est dubitandum. D. *enim Paulus in 2 Corinth.* 11. *cap. testatur, Satanam se transfigurare in angelum lucis.* Satan natura sua spiritus existit. Angelus ideò nominatur, quòd Deus eum mittat ad perficiendum aliquid. Malus angelus *in primo libro Regum* emittitur, ut sit mendax spiritus in ore Pseudo-prophetarum *Achabi*, ad ipsius

ipsius exitium. Angelus quidem erat tenebrarum & erroris, nihilominus tamen præ se ferre poterat, se angelum bonum esse, gubernabatque *concilium Baalistarum*, qui indubiè gloriabantur se in spiritu sancto congregatos esse. Si hoc Satan novit, an non mentiri speciem sancti alicujus viri posset, imitari ejus verba, vocem, gestus, & alia hujus generis facere?

Inter *Gentiles* mirandas res edidit: persuasit eis ut crederent animas magicis artibus evocari, & compelli, ut de rebus futuris atque arcanis eis respondeant. Ideoque non in publicis solùm, sed etiam in privatis rebus, si paulò difficiliores essent, opera Magorum & Pythonicorum usi sunt: item Oracula hinc inde consuluerunt.

Tertullianus in lib. suo De anima, commemorat sua ætate non defuisse qui pollicerentur se suis artibus animas ab inferum incolatu revocaturos esse: magiam vocat secundam idololatriam, in qua se dæmones perinde mortuos fingant, quemadmodum in illa deos. Fallaces illos spiritus sub personis defunctorum delitescere, res miras agere. Addit, Jam quiescentes animas (magia) evellere ab inferis creditur, con-

spectui

spectui exhibere: quia & phantasma præstatur & corpus adfingitur. Nec magnum illi est exteriores oculos circunscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare persacile est. *Corpora denique videbantur Pharaoni & Ægyptiis magicarum virgarum dracones: sed Mosis veritas mendacium devoravit. Multa & adversus Apostolos Simon dedit & Elimas magi*, &c. Addit, sua ætate *Simonis* hæreticos tanta præsumptione artem extulisse, ut etiam *prophetarum* animas ab inferis moturos se sponderent, &c.

Lactantius de Origine erroris, lib. 2. cap. 17. scribit malos angelos sub nominibus mortuorum delitescentes, viventibus plagas tendere, hoc est, sumere sibi nomen *Jovis, Junonis*, quos gentiles deos esse credebant, vel nunc S. *Sebastiani, Barbaræ* & aliorum.

Lib. 7. cap. 13. dicit, magos certis carminibus animas ciere ab inferis. Non quòd hæc sit mens *Lactantii*, eos suis nefariis artibus animas verè revocare ad sua cadavera: sed quòd glorientur se hanc vel illam animam evocasse. Convincit Ethnicos animam esse immortalem, testimonio magorum, quos illi magni faciebant; hi dicebant,

bant, se animas ex inferis advocare vel ciere, quod ex *Gentilibus* etiam illi credebant, qui interim animas putabant statim extingui.

Justinus apologia 2. pro Christianis, Vera dicam, ait. Olim genii mali per *spectra* illuserunt fœminis ac pueris, terrueruntque prodigiis homines, ut à stupidis metu exprimerent quod ratione non poterant: qui nescii malorum dæmonum esse has præstigias, in universum deos nominarunt distinctos propriis vocabulis, quæ cuique placebant maximè, &c. Postea in eadem apologia Ethnicos hortatur ne animas humanas post mortem sensu præditas esse negent, saltem necromantis suis fidem habeant, qui dicunt se animas evocare: item illis qui affirment se à defunctorum spiritibus agitari, quos vulgus arreptitios & furiosos nominet.

Apud *August. de Civitate Dei*, etiam multa hujus generis extant.

Quàm horribilibus stupendis & portentosis ceremoniis usi sint, quando animas mortuorum magicis suis artibus revocare voluerunt, invenies apud *Lucanum libro sexto*: ubi describit quonodo *Erichtone* malefica militem recens occisum revocarit in vitam, in

gra-

gratiam *Sexti Pompeii*, ut ex eo de *bello Pharsalici* eventu cognosceret. Hoc genus magiæ Necromantiam sive Psychomantiam vocant: cujus non unum fuit genus: aliquando mortuorum integra corpora apparuerunt, aliquando umbra tantùm, aliquando vox tantùm obscura est ex audita.

Plutarchus scribit in vita Cimonis (*interprete Joachimo Camerario in proœmio id libellos Plutarchi de Oraculis quæ de fecerint, & de figura El consecrata Delphis*) *Pausaniam capto Byzantio, virginem nobili genere natam Cleonicen nomine, accersisse ad turpem consuetudinem: parentes necessitate quidem ac metu filiam suam dimisisse, eam verò ab iis qui antè conclave servabant, impetrasse, ut lumen removerent, atque ita tenebris cum silentio accedentem ad lectum, Pausania jam dormiente, offendisse ad candelabrum, idque evertisse in vitam. Perturbatum autem strepitu Pausaniam, eduxisse appositam sicam, & quasi inimicum adorientem se, percussisse & prostravisse virginem illam. Quam de ictu eo mortuam, non sciviisse acquiescere Pausaniam, sed simulachro quodam nocte obversantem ipsi in somno, pro*

nun

nunciasse iracundam versum hunc heroicum.

Στῖχε δίκης ἄσσον μάλα τοι κακὸν ἄνδρα κιχάνει.

Hoc est,

Jus subeas, valde est injuria res mala cunctis :

Id facinus vel maximè ægrè ferentes socii duce Cimone oppugnando ipsum ejecerunt, Isque amisso Byzantio, quum ut fertur, pergeret visum illud turbare eum, confugit ad Necromantium Heracleæ. Ubi anima Cleonices evocata, iram illius fuit deprecatus. Hæc verò & conspectui ipsius sese obtulit, & brevi fore dixit, ut malum illud cessaret, ubi Spartam rediisset: tacitè nimirum indicans mortem ipsius, &c. Hic *Pausanias* antea modestè se gesserat, postea elatus victoriis, tyrannicè res administravit : ideo quum *Ephori* eum in carcerem ducturi essent, fugit in templum, in quo incluſus fame contabuit.

Alias id genus historias complures congerere non esset difficile, ex quibus perspicuum sit, qualis illa resuscitatio *Samuelis* fuerit. In aliis quoque rebus diabolo (si *Deus* ei permittat) vires non desunt ; quàm verò sit

expeditus & ingenioſus, experientia oſtendit.

Cæterùm quod principem quæſtionem attinet, finge (*Scripturis* enim hoc evinci non poteſt) quòd *Deus* ipſe *Samuelem* redire permiſerit, deque rebus futuris vaticinari, non tamen ſtatim ſequeretur hodie quoque tales apparitiones fieri: aut illa ſtatim credenda vel facienda eſſe, quæ ipſi mandant.

Deus primis temporibus angelos ſuos ſæpe viſibili forma ad homines miſit, nunc verò non audis quòd multi ad homines mittantur: neque id eſt neceſſarium. Temporibus *Apoſtolorum* ſtupenda miracula edita ſunt, poſtea certas ob cauſas ceſſarunt. Nam quæcunque nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria, Verbo *Dei* continentur. Hæc de *Samuele* annotaſſe ſufficiat.

CAP.

Cap. X.

Moſes & Helias Chriſto domino noſtro in monte apparuerunt: multi anima & corpore reſuſcitati ſunt: proinde animæ quoque in has terras redire poſſunt.

OBjicitur item nobis, *Moſen & Heliam Matth. 17. in monte* qui a veteribus *Tabor* vocatur) *apud Dominum Jeſum ab Apoſtolis quos ad hanc rem delegerat, conſpectos, & cum eo colloquutos eſſe. Lucas* explicat quibus de rebus cum eo diſſeruerint, nempe de exitu ipſius, hoc eſt, ſupplicio crucis, ideo colligunt animas mortuorum poſſe redire in terras, ſeque hominibus conſpiciendas præbere. Quòd Deus animas in terram mittere poſſit, jam antè conceſſimus: ſed quòd hæc ipſius ſit voluntas, & quòd præſertim his temporibus neceſſe ſit, probatione indiget. *Moſes* & *Helias* tribus tantùm, non omnibus *Apoſtolis* apparuerunt: non colloquuti ſunt cum tribus illis *Apoſtolis*: non attulerunt nova dogmata, non mandarunt ipſis, ut in

III *Moſes & Helias Chriſto apparuerunt.*

honore eorum templa extruerent, aut alia id genus facerent: non missi sunt ad *Apostolos*, sed ad *Christum* solùm, sive animæ tantùm, sive corpora quoque ipsorum venerint.

IV Lazarus rediit in terras.

Plurimum intererat, ut illi qui testes *Christi* esse debebant, optimè intelligerent, *Christo servatori nostro* Legem & *Prophetas* testimonium perhibere, quòd pro mundo moriturus, & in fine seculorum rediturus, corpora mortuorum suscitaturus: clarificaturus & secum in æternam gloriam perducturus esset: hanc igitur ob causam *Deus* voluit duos illos excellentes prophetas etiam ab ipsis conspici.

Lazarus teste Joanne capite undecimo, corpore & anima rediit, non sola anima ipsius apparuit. Hic est quasi pignus veræ nostræ resurrectionis quæ futura est novissimo die. Sicut alii quoque quos *servator noster*, quos *Apostoli*, & vetustis temporibus *Prophetæ* ex mortuis suscitarunt. Nusquam legis *Lazarum* vel alios dixisse, ubi interim fuerint, quis status sit in altero seculo. Hæc enim ex verbo *Dei* non ex mortuis discenda & tenenda sunt.

Idem

Idem dici potest de illo quod *Matthæi 27. habetur, Christo servatore in cruce moriente, aperta esse sepulchra, & postea die resurrectionis mortuos cum Domino resurrexisse, multisque Hierosolymis apparuisse.* Non animæ solùm mortuorum conspectæ sunt, & viventes monuerunt, eisque mandarunt ut in defunctorum gratiam, hæc vel illa facerent, nempe ut orarent pro illis, peregrinationes susciperent ad divos, &c. sed animo & corpore redierunt in terras. *Deus* enim testari voluit, se morte sua suis fidelibus mortem vicisse, & exarmasse, atque novissimo die corpora & animas ipsorum uniendas, & ipsos in perpetuum cum *Deo* victuros. Qui autem sancti illi fuerint qui surrexerunt, & an in hac præsenti vita aliquandiu manserint, iterumque mortui sint, vel cum *Christo* in *cælos* migrarint, consule *August. epistola 99. ad Evodium. & lib. 3. De mirabilibus Script. cap. 1.*

V. In die resurrectionis Christi multi resurrexerunt & apparuerunt multis.

His addenda est narratio quæ apud *Ruffinum in historia Ecclesiastica. libro 1. cap. 5. legitur, & à Socrate libro 1. cap. 12. reperitur de Spiridione Episcopo Cypri. Fit illi filia nomine Irene, apud quam familiaris quispiam pretiosum*

Spiridion filium excitat.

sum ornatum deposuerat. Illa cautior æquo sub tellure depositum abscondit, ac paulò post vitam finivit. Post aliquanto tempore venit qui deposuerat, & quum virginem non reperiret, patrem adorsus est, illumque nunc incusavit, nunc obsecravit. Senex quoniam damnum ejus qui deposuerat, suam ducebat esse calamitatem velit ad sepulchrum filiæ, Deumque invocavit orans, ut ante tempus sibi promissam resurrectionem ostenderet. Nec fraudatus est spe sua. Rediviva nanque virgo patri apparuit, ac locum ubi ornatum absconderat indicavit, & rursus secessit.

Non negabo rem ita habere. Similis enim historia extat apud D. *Augustinum epistola* 13. Quidam parum secundæ famæ juvenis accusavit *Bonifacium presbyterum Augustini*, quòd ab eo de stupro fuisset interpellatus. Quum res idoneis argumentis nec confirmari nec refelli posset, jussus est uterque ire ad sepulchrum *Felicis martyris*, ut miraculo judicium transigeretur. Non fuisset missus, nisi antea quoque arcana aliqua, hac ratione fuissent detecta. Dici potest, angelos bonos aut potius malos fuisse qui apparuerunt.

CAP.

Cap. XI.

An sancti Apostoli putarint se videre animam, quando Christus post suam resurrectionem eis ex improviso apparuit.

IN Euangelio *Lucæ cap. 24. legimus, quòd duo discipuli qui Emaunta Hierusalem reverterant, Apostolis narrarint se vidisse Christum redivivum: dumque loquerentur, Dominum in medio ipsorum stetisse atque eis dixisse: Pax vobis. Illos verò expavefactos & perterritos, existimasse se spiritum videre, &c.* Ex his quidam probare nituntur, *Apostolos* credidisse spiritus vel animas vagari, & hominibus se conspiciendos exhibere. Illos enim putasse quòd viderint *spiritum Christi*, ut quidam ex *veteribus* interpretantur, vel alterius spiritum.

VI Discipuli Christi putant se spiritum videre.

Ad hoc argumentum bifariam potest responderi. Primùm si putarunt se animam videre, non rectè putarunt, sed cum vulgo non minus errarunt, quàm quum putarent *Christum* externum & terrenum regnum excitaturum,

in quo ipsi principes futuri essent. Deinde fieri potest, ut putarint se vel *malum*, vel *bonum angelum* videre. Non enim unum genus est spirituum. Est spiritus qui omnia condidit: nempe *Deus Pater*, *Filius & Spiritus sanctus*. Deinde sunt spiritus creati, nempe boni & mali angeli: item animæ hominum, quæ vel sunt in corpore hominis, vel per mortem à corpore abjunctæ, in vita æterna, aut æterna damnatione degunt. De statu enim animarum in *purgatorio*, in quo ad iter cæleste præparantur, item de limbo puerorum, nihil extat in *Sacris literis*.

Vaeia genera spirituum.

Deum sanctis Patriarchis, *Prophetis*, *Regibus* & aliis variis visionibus & formis apparuisse, seque illis patefeciisse, illis loquutum esse, ex *Sacris literis claret*. *Jacob scalam vidit quæ imposita terræ ad cælum pertingebat*, *cui Deus innixus est*. *Isaias vidit Dominum sedentem super altum thronum*. *Daniel vidit senem sedentem*, *& ad ipsum venientem filium*, *omnemque potestatem accipere*.

Tertullianus & alii *S. Patres*, docent *Filium Dei*, qui constituto tempore carnem humanam induere debuit,

Pa-

Patriarchis forma angelica apparuisse.

Spiritus sanctus columbæ specie conspectus est quum *Ioan. Baptista servatorem nostrum in Iordane batizaret.* Bonos angelos, Dei ministris crebrò apparuisse, *Scripturæ sacræ* passim testantur.

Malos spiritus sæpenumero conspici, & hodierno quoque die incantatoribus & magis variis formis sese offerre: item aliis quoque hominibus tam piis quàm impiis, historiæ & experientia quotidiana testantur.

De animabus verò non legitur quòd ad hunc modum apparuerint. Ex his facilè colligi potest, *Apostolos* quum putarunt se *spiritum* videre, non credidisse se animam videre. An non opinari potuerunt se videre *spiritum* malum? aut potius se videre spiritum vel angelum bonum? Nam ad apparitionem bonorum angelorum, fideles etiam turbatos & consternatos fuisse, multis exemplis ostendi potest.

Danielis 8. & 10. c. legitur, Prophetam ad conspectum Angelorum in morbum incidisse. Ipsa Maria Virgo quum videret archangelum Gabrielem expavit, item Zacharias sacerdos, & multi alii.

Actor. 12. cap. *In Actis Apostolorum 12. c. legimus, quòd Herodes Iacobum Apostolum gladio interfecerit, quumque vidisset se Judæis gratum fecisse, Petrum quoque ceperit, & positum in carcerem, sedecim millitibus asservandum tradiderit, ut peracto festo Paschæ, eum quoque interficeret. Angelum Domini nactu D. Petrum per custodiam militum è carcere eduxisse, illum rectà ad domum Mariæ matris Ioan. Marci, (ubi multi erant congregati & orantes) perrexisse. Quumque pulsasset ostium vestibuli processisse Rhodem puellam, ut quis pulsaret quæreret. Hæc ut agnovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit vestibulum, sed introcurrens nunciavit stare Petrum ante vestibulum. At illi dixerunt ad eam. Insanis. Illa autem affirmabat, sic se habere: at illi dicebant, Angelus ejus est. Petrus autem perseverabat pulsans. Quum autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt.* Ita *nunc quoque Apostoli* forsitan putarunt, quum *Christum* viderent, se videre bonum angelum. Nam hominibus angeli additi sunt à *Deo*, qui curam eorum gerant: qua de re apud *Matth.* 18. & *Psal.* 19. legitur: & postea pluscula annotabimus.

Gen-

Gentiles quoque crediderunt, ut ex scriptis ipsorum intelligitur, unumquemque hominem bonum & malum genium habere. Illum homines incitare ad virtutes, eosque defendere: hunc verò homines lædere ubicunque possit, & ad malà hortari. *Boni & mali genii.*

Si majores nostri dixerunt de aliquo qui peregrè fuit, vel ex hac vita decessit, quando aliquid audiverunt vel viderunt, Spiritus illius est: potest esse, ut non putarint animam ejus, sed angelum ejus. Quòd si putarunt animas esse, ut posteris temporibus ab omnibus creditum fuit, quando nunc in hoc, mox alio in loco spiritus se conspiciendos præbuerunt, errarunt, ut in multis aliis quoque rebus. Animæ enim statim in æterna gaudia vel æternam damnationem colliguntur.

Si doctores suum feciſſent officium, & plebem sibi commissam rectè instituissent de hoc & aliis *doctrinæ Christianæ* capitibus, aut saltem lectione *sacrorum librorum* ei non interdixissent, de hac re & aliis de quibus hodie contenditur, rectè sensissent.

CAP. XII.

De sanctis Patribus, Conciliis, Pontificibus, & vulgo, qui dicunt animas apparere.

S. Patres dicunt animas apparere.

OBjicitur nobis *sanctorum Patrum* authoritas, nempe quod *D. Ambrosius de S. Agnete* scribit, *D. Augustinus de S. Felice*, de quibus suprà habuimus: *Abdias* in vita *Apostolorum*, quòd *Thomas* post mortem apparuerit & concionatus sit. *D. Gregorius* in suis dialogis, varia & miranda scribit: inter alia multa exempla recitat de mortuis qui apparuerint, opem postularint, de quibusdam sanctis, ipsis etiam *Apostolis*, qui aliquos lethaliter decumbentes paulò antequam objerunt, inviserint: & alia hujus generis, quæ omnia qui volunt ipsi legere possunt. Fertur *Hieronymum* apparuisse *D. Augustino.*

Hoc loco nolo *sanctos Patres* vanitatis arguere. Sciendum tamen est, eos non dicere quòd illos qui apparuerunt, crediderint animas mortuorum esse, sed loquuntur vulgari more.

Quod

Quod verò *D. Gregorii* dialogos attinet, non possum dissimulare (id quod ante me multi alii observarunt,) multa illis contineri quæ nequaquam verisimilia, sed fabulis anilibus similia sunt. Non quòd sanctus ille Pater ex malitia ea scripserit: sed quia nimis fuit credulus, & multa ex aliorum potius relatione in suos libros contulerit, quam quòd certa & explorata haberet. Hodie quoque multi sunt pii & honesti viri, qui hoc vitio laborant, quòd nimis cito credunt: seque aliis regendos præbent. Ex se alios metiuntur: puderet eos aliquid falsi asserere: ita putant alios quoque affectos, qui eorum simplicitate & bonitate abutuntur. Hi interdum magna pericula propter suam illam credulitatem incurrunt. Deinde ætate *Gregorii* cœptum est illis apparitionibus & visionibus multum tribui. Vera quoque & simplex doctrina illis ipsis temporibus valde cœperat labefactari. Plurimum autem refert in quæ quisque incidat. Ipsemet fassus est sua tempora. Studiosius itaque inhærendum fuerat *sacris literis*, neque quicquam recipiendum, quod illis non est consentaneum. Quidam eum excusantes dicunt, quòd

Gregorii magni dialogi.

ideo dialogos suos miraculis & prodigiis referserit, ut pertinaces & duri animi *Lomgobardorum* illis exemplis mollescerent, veramque religionem amplecterentur, quam tantopere insectati fuerant. Quòd autem nequaquam utile sit his adminiculis, fictis scilicet narrationibus, propagare veram fidem etiam *Vives libro* 5. *De tradendis disc. agnoscit.*

5 *Concilia approbant animarum apparitiones.*

Quidam *conciliorum* authoritate nos urgent, quæ apparitiones animarum quasdam approbarint libros item qui de illis extant, quosdam ad ædificationem simplicium legendos permiserint, quosdam verò libros & apparitiones planè rejecerint.

De concilio Constantiensi fertur, quòd hanc apparitionem approbarit: Decanus quidam cum abdicasset se decanatu in heremum profectus est, ut pœnitentiam ageret: post obitum apparuit suo *Episcopo*, eique indicavit quòd illa ipsa hora qua obiit, triginta millia hominum è vivis discesserint, inter quos omnes, sua duntaxat & *D. Bernardi* anima æternæ salutis factæ sint consortes, tres in *purgatorium* descenderint, reliquæ in æternam damnationem, &c. *Concilia* autem & *Ecclesiam* non

Concilia errare possunt.

non posse errare, eò quòd à *sancto Spiritu* regantur: Ipsum quoque dominum *Matt.* 24. dicere, *Novissimis temporibus fient signa & prodigia, ut si fieri posset, etiam electi seducerentur.* Ideo concludunt, hæc esse credenda quæ de illis apparitionibus dicunt. Verborum *Christi* non hic sensus est, quòd electi in errores nunquam induci possint (rem enim aliter habere, multis egregiis exemplis ostendi potest) sed quòd in illis non perseverant, tametsi vix & ne vix quidam emergant. Dic, quæso, quinam convenerunt in vetustis conciliis? nonne *sancti Patres?* Illos verò constat in multis capitibus inter se fuisse discordes, idque scriptis contrariis ostendisse: quin aliquando sibi ipsis contradicunt, ideoque non semper rectè senserunt: ipsi nos subinde ad verbum *Dei* tanquam fidei certissimam normam & regulam, remittunt. Exempla non desunt, quibus potest ostendi vetusta *Concilia* in quibusdam dogmatis errasse. *Ariminense concilium*, *Arrianorum* dogma probavit. *Ephesinum secundum Eutycheti* subscripsit. In *concilio Carthaginensi*, quòd *Cyprianus* collegit, etiam contra *scripturas* pronuntiatum fuit,

fuit, &c. Quid posteris temporibus factum esse dicemus? Notum est ex historiis, quis *concilia* aliquot seculis indixerit, rexerit, & quibus de rebus præcipuè tractatum fuerit: quidque plerunque mox consequutum sit, hoc est feralia bella & cædes. Si vetusta illa errare potuerunt, cui mirum videbitur illa quæ interea temporis celebrata sunt errasse? Sed quod apparitiones illas attinet, ut aliis omnibus omissis, de his tantum agam, Dic, quæso, quis conciliis diceret, num hæc vel illa apparitio vera fuerit vel ficta? Nullum certè concilium efficere potest, ut mendacia quæ spargunturvera esse incipiant, si ipsi vera esse affirmarint.

Pontifices approbant animarum apparitiones.

Non minus stultum est si dicatur Pontificem (qui conciliis omnibus superior haberi vult) hoc vel illud miraculum, quod in cœnobio aliquo editum esse dicunt, confirmasse. Quomodo enim *Pontifex Romæ* tot locorum intervallis disiunctus, meliùs scire rem aliquam potest, quàm illi qui illis ipsis in locis degunt? *Pontifice* confirmante hanc vel illam animam conspectam esse, qui nihil aliud habet, quam quod ex illorum, qui fortè

novas

novas peregrinationes & pecuniæ aucupia instituere volunt, sermonibus vel literis intellexit, statim absque contradictione credendum est: si alii, qui omnia explorata habent diversum atteſtentur, vana esse oportet omnia. Cogita quæso hac de re: Antea omnes dubitarunt num res aliqua ita haberet: cùm primùm Papæ calculus accessit, aut Clericus aliquis in somnis vidit rem ita habere, nefas est postea dubitare. *O tempora, ô mores!*

Multi dicunt sibi animas apparuisse.

Quod alios homines laicos, ut vocant, & plebeios attinet, qui dicunt se aliquem post obitum ipsius vidisse, audivisse, novisse, cum eo collocutos esse: facile quidem concedo, eos aliquid vidisse & audivisse, & omnino pro certo habuisse quòd fuerint animæ, & quòd loquuti sint cum illis: quòd verò revera animæ fuerint, non sequitur: multò minus quòd corpore & anima homo aliquis defunctus ipsis apparuerit. Nam novissimo tandem die animæ ad corpora sua redibunt. Animæ spiritus sunt: spiritus verò sunt invisibiles, nisi externas aliquas formas assumant, quare non ita possunt conspici. Quòd enim animæ, ut boni & mali angeli, formas aliquas induant,

duant, *sacrarum literarum* testimoniis probari non potest. Adhæc certum est, sæpe illorum formas, à quibus anima per mortem nondum avulsa est (ut quum quis lethaliter decumbit) non minus videri, quàm illorum qui hinc excesserunt. Non igitur necessarium est, ut *Spectra* quæ videntur animas esse credamus. *Ex his intelligis quid de narratione Platinæ, Naucleri & aliorum sentiendum sit, qui scribunt Episcopum quendam vidisse Benedictum 8. Papam in solitudine (jamdudum mortuum) nigro equo insidentem, rogatumque cur ita nigro equo veheretur, admonuisse episcopum, ut pecuniam in usus pauperum collatam (sed nefariè in alios usus reservatam) pauperibus quibus jure deberetur, distribueret.* Circunferuntur alia quoque hujus farinæ.

CAP. XIII.

An animæ ex purgatorio & limbo puerorum redeant.

QUod animæ que in *cælos* vel *inferos* translatæ sunt, ex illis locis

ante

ante diem extremum non redeant neque appareant, fortassis quidam non inviti concederent : sed fingunt tertium esse locum, nempe *purgatorium*, ex quo animæ in terras redeant. Nam contra illas nondum latam esse ultimam sententiam : ideo adhuc posse illas auxilio levari, illas etiam opem petere, ideoque se hominibus conspiciendas præbere. At suprà ex *divinis oraculis* & *Patrum scriptis* abundè & luculenter probavimus, animas fidelium salvari, infidelium damnari, nulla mora intercedente : ideoque nullum esse *purgatorium*. His opponunt varia argumenta, inter quæ illud vulgare quidem, sed præcipuum videtur quod dicunt, neminem salvari qui non ab omnibus suis peccatis expiatus sit : nobis verò peccatum ad sepulchrum usque adhærescere. Si dicamus puritatem non in operibus nostris aut doloribus quos perferimus, positam esse, sed *Deum per fidem in Filium suum Christum Jesum qui est unica nostra redemptio, justitia, satisfactio, & pretium pro peccatis nos justos efficere respondent, Fidem in nobis imperfectam esse, optimos quosque quando hinc migrandum est, de fidei suæ infirmitate*

queri,

queri. Deum itaque tales homines non rectà in *cælum* deducere, & quia fide non prorsus sint vacui, eos ad inferos non statim detrudere. Locum igitur esse interiacentem, qui vocetur Ignis purgatorius, in quo animæ ab imperfectione quæ in morte remanserit expientur, & ex quo per viventium merita, & per largas indulgentias liberentur. An verò hoc non est nostris doloribus & igni externo tribuere, quod soli supplicio *Christi* tribuendum erat? An non *Christus* nos docet, ut si fidei imbecillitatem in nobis sentimus, cum *Apostolis* clamemus, *Domine, adauge nobis fidem?* An Deus preces suorum fidelium in agone mortis exaudire dedignatur? Christus dicit, Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: Non propter dignitatem fidei nostræ, sed *ex mera gratia nos vult salvos facere.* Hæc verò nobis per fidem communicatur. Ut si opulentus aliquis cibum & potum aliis gratis distribuat, & quidam vasculo ligneo, quidam fictili, quidam argenteo vel etiam aureo exciperent, vel, si Princeps aliquis nummum aureum in singulos distribuat, quidam manu ægra, quidam

valida

valida eum accipiant. Qui ægram manum habet, non minus accipit nummum quàm alter qui manum habet robuſtam. *D. Paulus exhortatur ſuos Theſſalon. 1. epiſt. cap. 4. ne mortuos ſuos lugeant ſicut gentiles.* Si ignis eſſet *purgatorius*, qualem illi commenti ſunt, non potuiſſet illis iraſci, etiamſi obitum eorum impatientius tuliſſent, &c. Alia argumenta quæ ad ſtabiliendum *Purgatorium* adhibentur, jam pridem à multis & piis & doctis viris ita refutata ſunt ut mirum ſit noſtros adverſarios illa ſubinde repetere.

Priuſquam verò ab hoc loco diſcedam, libet hanc narrationem interſerere. *Germanus* quidam cùm ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ut vocant, accuſatus eſſet, quod inter æquales ſuos contra Eccleſiæ catholicæ conſenſum, negaret eſſe purgatorium, reſpondit: Si *Parochus* noſter, cui plurimum tribuo pro ſuggeſtu vera concionatur, aut nullum eſt *Purgatorium*, aut vacuum. Sæpe enim repetit, *Turcas Judæos, hæreticos & impios*, non in *Purgatorium* ſed rectà ad *inferos* deſcendere, unde nunquam liberentur: deinde indulgentiis quæ proſtant,

ſtant, multas animas in integrum re ſtitui: adhæc tantas eſſe miſſæ vire affirmat, ut nulla in toto orbe celebre tur per quam non anima minimùm una eripiatur flammis *purgatorii*. Hæc ſi vera ſunt, ajebat, (non enim qua *Parochus* meus affirmat, refellere co nabor) perſto in mea ſententia. Nam Catholicorum numerum ad paucos redactum eſſe, omnes conquerimini, maxima hominum turba in varias ſec tas ſciſſa, & Epicureorum numero quotidie creſcente. Deinde omnium loculi ſæpiſſimè à pœnitentiariis, qui indulgentias vænales propoſuerunt, exhauſti ſunt, ut animæ *purgatorii* cruciatibus liberarentur. Præterea nullus eſt pagus in quo non conplures miſſæ celebrentur, prius quàm vel unicus ruſticus moriatur. Quid igitur ſequitur aliud, quàm vel nullum *purgatorium*, vel omninò vacuum eſſe? His auditis, Inquiſitores, qui non ignorabant vulgò ſic à ſuis hominibus doceri, obſtupuerunt: & communicato conſilio illum objurgarunt, quòd circa quæſtiones ad ſe non pertinentes, occucuparetur: quas jubebant eum Theologis relinquere, & ſuis negotiis vacare.

Fuit

Fuit apud nos vir honestus & gravis, qui priusquam *Euangelii lux* emersisset, hoc dilemmate utebatur: *Pontifex Romanus* aut habet potestatem evocandi animas ex tormentis *purgatorii*, aut non habet. Si habet illam potestatem, & ea non utitur nisi interveniente pecunia, crudelitatis & avaritiæ crimen non potest effugere: si verò non habet magnum profectò scelus est, tot viduas & orphanos hoc nomine expilare, & de potestate quam non habet, insolenter gloriari. Si verò nullum est purgatorium (sicut ex *Scripturis sacris* manifestè colligitur) animæ profectò ex illo neque redire, neque aliis se conspiciendas præbere possunt. Quò ad quartum locum, nempe *Limbum puerorum* (in quo innocentes pueri, uti eos vocant, dicuntur versari) Papistæ vix audebunt affirmare eos redire, & apparere hominibus, eorũ que opem implorare: docent enim, quòd cùm absque *baptismo* decesserint, perpetuò carituri sint conspectu *Dei*: ideoque eos cum aliis *Christianis* in eodem cœmeterio non esse sepeliendos. *Deus bone*, quot pias matronas puerperas hoc commentum miserè afflixit? Commentũ voco, quia ex sacris literis

An pueri qui absque Baptismo decesserunt redeant.

pro-

proferre nihil possunt, quo hoc suæ doctrinæ caput confirment *Scriptura Baptismo* externo qui aqua fit, non tantùm tribuit. Potiorne fuit infantum in *veteri Testamento* conditio quàm in novo? Non legis quòd veteres existimarint infantes qui ante octavum diem mortui sunt, ideoque circuncisi non fuerunt, in perpetuum *Dei* conspectu carituros esse. *Rex & Propheta David dicit se sequuturum puerum suum, quem Deus antequam circuncideretur, ex has vita evocaverat*; non autem fuit *Davidis* mens, quòd iturus esset in locum in quo conspectu *Dei* perpetuò privaretur. Sed de hoc plura disputare non est hujus instituti.

Respondi nunc ad potissima adversariorum argumenta, quibus probare nituntur animas cum bonorum tum malorum, interdum postquam à corporibus discesserunt per mortem, se conspiciendas præbere viventibus.

CAP.

Cap. XIV.

Quid sint illa quæ videntur & audiuntur : & primùm quidem, quòd interdum boni angeli appareant.

NOndum, inquis, manifestè & expressè intelligo, quidnam sint illæ res quarum (ut suprà dictum est) *historici, sancti Patres* & alii mentionem faciunt : veluti quòd *sancti Apostoli, Episcopi, Martyres Confessores, virgines*, & alii qui ante multos annos decesserunt, quibusdam aliquando cùm in extremis agerent, apparuerunt, eos monuerunt, ad quæstiones eis propositas responderunt, eos jusserunt, hæc vel illa facere : item quòd interdum aliquid videtur, & auditur, quod non solùm dicit se hanc vel illam animam esse, sed addit quomodo ei subveniri possit : postea redit & gratias agit illis à quibus beneficium accepit : quod maritus defunctus uxorem suam viduam noctu accessit : quodque rarò memorabile aliquid accidit, quod non signis quibusdam antea significetur.

Audio, inquis, & intelligo, illa animas non esse, quæ in suis constitutis locis degunt: quid igitur sunt res illæ? Ut paucis dicam: si non est persuasio vana ex imbecillitate sensuum, timore, & aliis id genus orta vel dolus hominum, vel res physica, de quibus in prima parte multa annotavimus, est vel bonus vel malus angelus, aut alioqui admonitio à *Deo* profecta: qua de re deinceps ordine & plenius dicemus.

Angeli apparent. Mat. 18.

Dominus testatur in *Euangelio*, *pueros bonos suos angelos habere. Mat. 18. legitur Dominum dixisse: Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quòd angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei cæleſtis.* Quæ verba non ita accipienda sunt, quasi nunquam in terras deorsum emittantur. Sed *Dominus* humano more loquitur. Quemadmodum enim ministri stant ante dominos suos, ut eorum mandata exequantur, ita angeli parati sunt ad serviendum *Deo*, *Isa. 63. Angelus faciei ejus, hoc est, qui stat in ejus conspectu, servavit eos. Deinde illi qui subinde dominis astant, sunt illis grati & arcanorum conscii. Ex hoc loco Matth. concludunt D. Hiero. in suis commen. & alii Patres,*

Deum

Deum unicuique animæ cùm primùm eam creat, peculiarem ſuum angelum addere, qui curam ejus gerat. An autem ſingulis electis proprius angelus, aut plures additi ſint, non expreſsè habetur. Hoc autem certum eſt, quòd *Deus* angelis ſuis mandavit, ut noſtri curam rationemque habeant. *Dan.* 10. *c. teſtatur etiam regnis angelos præfectos eſſe, per quos Deus ea cuſtodit & defendit, atque diaboli mala conſilia impedit.* Omnes *Chriſtianos* non unum tantum ſed multos angelos habere, quibus *Deus* ad eorum miniſteria utatur, multis ex *Scripturæ* locis percipi poteſt. *Pſ.* 30. *dicitur, angelus domini caſtra figit circum illos qui Dominum timent, eiſque opitulatur*: quod hodie quoque fieri, licèt eos non videamus, minimè eſt dubitandum.

Legimus alia atque alia ſpecie apparentes homines admonuiſſe, eos erexiſſe ſua conſolatione, eos defendiſſe, ex periculis eripuiſſe, impios item pœnis affeciſſe, hac de re multa exempla ſe offerunt, quæ nihil attinet hoc loco referre. Aliquando in ſomnis vel per viſiones apparuerunt, aliquando per interiorem operationem ſuum munus

exequuti sunt, ut cùm animus alicui præsagit rem sic casuram, & postea ita accidit, id puto fieri à *Deo* per angelorum ministerium. Angeli plerumque humanas species assumunt, in quibus apparent. Ita fieri potest ut *S. Felix*, *S. Agnes*, & alii qui honestis & piis hominibus apparuerunt, angeli *Dei* fuerint. Non autem singuli tantùm, sed etiam toti exercitus & castra angelorum apparuerunt, ut *Jacobo patriarchæ*, *Helisæo prophetæ*. *In historia Ecclesiastica à Socrate & Sozomeno* conscripta legitur *Arcadium imperatorem*, *Gainam* cum exercitu suo in urbem *Constantinopolitanam* recepisse, ut eam defenderet, iste verò perfidus urbem in suam potestatem redigere moliebatur: mittebat agmen ad incendendum Imperatoris palatium, ab illo agmine conspecti sunt densissimi exercitus angelorum nimirum) armaturam militarem & corpora magna præ se ferentes, ideoque ab incendio discesserunt. Misit alios qui idem referebant: tandem ipse ivit, viditque rem ita habere, & cœptis destitit. Atq; ita *Deus* mirabili modo urbem & ecclesiam *Constantinopolitanam* contra Tyranni illius insidias defendit.

Toti exercitus angelorum visi.

Cùm

Cùm *D. Augustinus in lib. suo De cura pro mortuis gerenda cap.* 10. *scribit*, mortuos in somnis, vel alio quocunque modo apparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora inhumata jacerent, nescientibus indicasse, eosque rogasse ut ea humarent : ibi judicat operationes esse angelorum per dispensationem divinæ providentiæ bene utentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum. Non animas dicit apparere in somnis, sed similitudines. Addit, si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsi nos quando eas vellemus alloqueremur in somnis, ipsum matrem nulla nocte deserituram, quæ terra marique eum sequuta sit, ut cum eo viveret. Tanta fuit ejus erga filium φοργή.

Cap. XV.

Aliquando & plerunque conspici malos angelos.

EX adverso mali angeli infesto & inimici sunt hominibus : adjungunt eis se ubique, ut à veris *Dei*

cultibus, & à fiducia in unicum *Dei Filium*, ad alia atque alia eos abstrahant, variis autem formis apparent, *Etenim si diabolus, ut Paulus testatur, se in angelum lucis transformare potest*, non minus potest *Prophetam*, *Apostolum*, *Euangelistam*, *Episcopum* & *martyrem* agere, eorumque specie apparere: vel ita nos fascinare ut putemus nos illos ipsos videre & audire. Etiam conatur futura prædicere, sive scopum attingat sive minus. Dicit se hanc vel illam animam esse, hac vel illa ratione se liberari posse, ut his rebus quæ *Scripturæ* fundamento carent, maximam pariat authoritatem. Per falsa miracula instituit nova festa, peregrinationes, sacella, altaria: per adjurationes, benedictiones, magiam, nititur ægrotos curare, ut suis rebus authoritatem conciliet. Quomodo dæmones infelicibus & miseris gentilibus illuserint, eosque plurimis erroribus involuerint, miranda invenies apud *Arnobium*, *Lactantium*, aliosque *sanctos Patres*, qui contra gentes eorumque superstitiones scripserunt. Conjunxit & insinuavit se eorum simulachris, loquutus est per illa, ex uno loco in alterum illa movit, edidit stupenda miracula, ita ut etiam

claudi

claudi relictis scipionibus quibus nitebantur, in templis idolorum, absque eorum ope & adminiculo domum redierint. Præcipuè verò in templo *Æsculapii* (qui medicinæ præses fuisse creditus est) multa hujus generis accidisse referuntur. Quare non est quòd hodie Pontificii de hujusmodi miraculis insolenter glorientur, quibus intercessionem divorum & alia confirmare moliuntur.

Cap. XVI.

De prodigiis, ostentis, & aliis id genus.

Quo verò ad alias res mirandas, deinceps est videndum quid sint, ut quòd cum aliquis moriturus est, antea aliquid conspicitur, aut fragor repentè ex auditur : in primis verò quòd obitum magnorum Principum multa signa & prodigia præcedunt, Mortem *Julii Cæsaris* quæ signa præcesserint, ex historiis notum est : inter alia longè lateque noctu strepitus exauditus est. De aliorum *Imperatorum & Regum*, magnorumque virorum

obitu legitur, præsagitiones aliquas auditas vel visas esse. Considerandum item quid res illæ mirabiles sint, quæ plerunque mutationes imperiorum, bella, seditiones, & excidia urbium antecedunt.

Simpliciter dico, sicuti antea quoque de *Spectris*: Si non sint vanæ persuasiones, vel res Physicæ, sunt admonitiones divinæ, quæ per bonos angelos vel alia nobis incognita ratione fiunt, ut intelligamus hæc omnia non temerè, absque *Dei* nutu & voluntate accidere: sed vitam & mortem, pacem & bellum, mutationem religionis, imperiorum, aliarumque rerum vicissitudines, in ipsius potestate positas esse: ut discamus ipsum timere & invocare. Interea Satan multa fingit, & exercet, ut terrorem hominibus incutiat, & superstitionem animis eorum inserat. Non autem omnia illa à Satana fieri, hinc potest intelligi: Fit ut aliquis confodiatur ab aliquo eum quo nunquam inimicitias exercuit, sed quo semper familiariter usus est: aliquis perit in aquis, cadit ex alto, vel alioqui miserabiliter extinguitur: malus spiritus hæc præscire non potest, (nulla enim sunt illarum rerum naturalia signa,

signa, ut in morbis, quæ præcedant, nullæ conjecturæ) tamen quædam signa & res inusitatæ præcedunt, hinc colligo illa à *Deo* fieri, qui solus hæc futura esse novit. Non autem illos tantùm monet quorum præcipuè res agitur, sed alios quoque qui de his audiunt, & præsentes sunt.

In ditione Tigurina non multò antè quàm hæc scripsi, *fuit quidam præfectus, quem se itineri accingentem, aliquot jentaculum sumpturi expectarunt, qui visi sunt sibi audire cultrum decidentem è superiore parte vel tabulato hypocausti in quo erant, nihil tamen viderunt. Mox quum de ostento inter se colloquerentur, iterum visi sunt sibi idem audire. Interea venit ad eos præfectus, referunt illi quid accidisset: vix sermonem finierunt tertio culter decidit, audiente etiam præfecto, qui antea de rei veritate nonnihil dubitaret. Sumpta igitur inde occasione, hortatus est illos, ut cum magnæ nuptiæ illo in loco paucis interjectis diebus celebrandæ essent, concordiæ & temperantiæ omnes studerent, ne rixis & cæde nuptiæ ille funestarentur. Ipse iter ingressus, & post diem unum & alterum confectis suis negotiis, in arcem*

suam reversurus, in torrente qui subitò imbribus auctus fuit, equo collapso diu eum aquis luctatus, miserè interiit.

Diabolum verò etiam rebus inusitatis ludificare homines hinc colligo, quod si aliqui corripiuntur gravi morbo, de quorum sanitate non solùm medici, sed etiam ipsi ægroti desperant, noctu auditur strepitus ac si pheretrum aliquis fabricet, aut mortuum mandet sepulturæ: id existimo *Spectrum* esse diabolicum, putat enim omnino moriturum ægrotum, qui à *Deo* intercedentibus piis & ardentibus precibus, pristinæ sanitati restituitur. Quod *Plin. scribit* vulturem tantæ esse sagacitatis, ut biduo aut triduo prævolet illuc ubi cadavera sint futura, omnino fabulosum est. Si hoc conderetur, non absurdum esset siquis diceret diabolum futura videre, etiam ubi nullæ sint causæ physicæ, &c. Ad hæc potest permittente Domino, si bella & seditiones instent, in armamentariis tormenta bellica & arma omnis generis movere, atque strepitum excitare, in aëre clamorem & fremitum magni exercitus, tympana pulsare, & alia id genus facere, quæ historici sæpe facta fuisse, omnes uno ore testantur.

CAP.

Cap. XVII.

Diabolo non est difficile, variis formis apparere & res mirandas efficere.

CÆterum diabolo non esse difficile variis speciebus, non viventium solùm sed & mortuorum hominum (de quare suprà quoque quædam dixi, quum de apparitione *Samuelis egi*) item quod minus est, etiam quadrupedum, avium, &c. veluti in specie nigri canis, equi, bubonis, apparere, & res incredibiles efficere, manifestum est. Nam per diuturnam & multiplicem experientiam, vim & effectum rerum naturalium, veluti herbarum, lapidum, &c. cognitam habere potest, & per hæc res mirandas operari. Deinde est subtilis & expeditus spiritus, qui res commodè aggredi potest, id quod in re quavis non parum momenti affert. Per celeritatem suam & rerum naturalium notitiam, fallere visum potest, alioſque hominis sensus; illa quæ ante nos posita sunt occultare, & alia in eorum locum substituere potest. Qua de re Sacræ literæ, histo-

riæ & quotidianus usus testantur. Quomodo egit spiritus malus cum *Jobo?* quid non brevi temporis spatio effecit? Quam miranda fecit *Bileam* opera mali spiritus? An non artibus magicis celebre nomen adeptus est? Quàm ingentia miracula magi *Pharaonis* ediderunt? Nonne *Simon* magus malis suis artibus *Samaritanos* longo tempore ita fascinavit, ut dicerent ipsum esse magnam *Dei* virtutem? De hoc mago multa scribunt veteres, velut *Irenæus lib. 1. cap. 10. Euseb. lib. 2. cap. 13. Egesippus scribit lib. 3. cap. 2. de excidio Hierosolymitano, Simonem illum Romam venisse, ibique se opposuisse Petro, gloriatum esse se velle in cælos volare: die constituto venisse in montem Capitolinum, desiliisse de petra, volasse aliquandiu, non sine magno populi stupore, qui verbis ipsius fidem adhibere cœperit: mox decidisse & crus fregisse: postea Aritiam translatum ibidem obiisse.*

Magi res mirandas faciunt Simon magus.

Joannes Trittenhemius Abbas Spanheimensis, scribit in Chronico monasterii Hirsgaviensis, ordinis S. Benedicti, anno Domini 970. Bulgaribus imperasse duos filios *Simeonis* monachi, *Petrum & Bajanum*, quorum Bajanus

Bajanus.

in

in arte magica doctissimus fuerit, & per eam multa mirabilia fecerit. Quotiescunque voluit, mutavit se in lupum, vel in cujuslibet alterius bestiæ formam, velut penitus à nullo videretur, & alia miranda & potuit & fecit, quibus homines ad magnam admirationem traduxit.

Deinde *anno 876. fuisse scribit* quendam Judæum nomine *Sedechiam*, olim Physicum & medicum *Ludovici Imperatoris*, qui magicis disciplinis instructus, faciebat multa miracula & stupenda ludibria publicè coram principibus & quibuscunque aliis. Effecit namque arte sua, ut hominibus videretur devorare virum armatum cum equo & omnibus armis: currum quoque onustum fœno, cum equis & auriga. Amputabat hominibus capita, manus aut pedes, quæ pelvi coràm imposita cum sanguine defluente, omnibus videnda præbuit: quæ statim ad loca unde videbantur abscissa, sine detrimento hominum restituit. In aëre & nubibus videbatur & audiebatur ab omnibus venationes, currus, & alia exercere, quæ homines super terram exercere solemus. Tam multas & varias ludificationes

faciebat, ut omnes suprà quàm credi potest, mirarentur & obstupescerent.

Anno Domini 13... quando, ut idem author memoriæ prodidit. *Fridericus dux Austriæ*, qui contra *Ludovicum Imperator* delectus erat, inter *Otingam & Molndorfum* magno prælio victus fuit, & Ludovico traditus, qui in arcem munitam eum asservandum misit. Contigit postea ut magus quidam ad *Lupoldum* fratrem ejus in *Austriam* profectus, promitteret se sua arte *Fridericum* è captivitate salvum & illæ sum, ministerio spiritus, ad se unius horæ spatio reducturum, si dignam ei mercedem promittere & dare vellet. Respondit dux, Si feceris quod promittis, digno te præmio afficiam, itaque magus hora sibi commoda circulum conjurationis unà cum duce ingreditur, vocat spiritum suis obedire mandatis consuetum. Cui in specie humana comparenti, per virtutem suarum conjurationum mandavit, ut ducem *Fridericum*, ex custodia *Imperatoris* liberatum, ad se in *Austriam* sine læsione quàm celerrimè adveheret. Cui spiritus respondens dixit; Si dux

ipse

ipse captivus mecum venire voluerit, mandatis tuis libens obtemperabo. His dictis, avolat mox spiritus in *Bavariam*, formaque peregrini assumpta, custodiam ubi dux *Fridericus* detinebatur captivus, ingreditur: quo viso, missus ad eum spiritus dixit, Si ex captivitate liberari volueris, hunc equum ascende, & te fine læsione in *Austriam* ad fratrem tuum ducem *Lupoldum* salvum & incolumem perducam. Cui dux inquit, Quis es tu? ad quem spiritus, Noli interrogare quis sim ego, quia nihil ad rem: sed ascende hinc equum quem tibi exhibeo & te salvum & incolumem hinc liberatum in *Austriam* reducam. Quibus auditis, horror ducem alioqui audacissimum invasit, quumque signo se sanctæ crucis muniret, spiritus cum nigro quem exhibuerat equo disparuit, & vacuus ad mittentem reversus est, à quo increpatus, quòd non adduxisset captivum, ordinem rei gestæ narravit: tandem ex custodia liberatus dux *Fridericus*, ita sibi contigisse in captivitate consignato die confessus est.

Hæc historia etiam in *Helvetiorum* aliorumque annalibus extat.

Hodie quoque magi inveniuntur, qui

qui gloriantur, se magicis præstigiis equum sternere posse, quo paucis horis iter longissimum conficiant. Hos tandem *Deus* meritis pœnis afficiet. Quàm miranda referuntur de *Fausto Germano*, quæ nostra ætate per magicas artes effecerit?

Jam de magis vetustis, *Apollonio* & aliis nihil dicam, de quibus historiæ res mirandas & incredibiles tradunt: Striges, lamias, & incantatrices, homines & jumenta lædere dicuntur, si eos vel tangant vel demulceant: res horrendas exercent, de quibus integri libri conscripti extant.

Agyrtæ & circulatores circumforanei multa sua celeritate efficiunt, jubent aliquem vorare cibos, qui postea si spuat, ex ore stercora & alia ejicit. Magi, præstigiatores, incantatores, necromantæ, servi tantùm sunt diaboli, an non putas dominum ipsorum aliquam scientiam sibi reservasse?

Hoc tamen dissimulandum non est, quòd diabolus de multis gloriatur quæ revera præstare non potest; ut quod dicit, Se mortuos ex sepulchris ciere, &c. Potest quidem permitten-

te

te *Deo*, formas eorum hominibus offerre: sed in cadavera talem potestatem non habet.

Cap. XVIII.

Diaboli interdum homines jubent facere quæ bona sunt, vitare contraria: vera quoque interdum dicunt, & quare.

Si spiritus illi auxilium expetentes non sunt animæ, sed diaboli, inquiunt multi: cur igitur bona hominibus suadent, hortantur eos ad virtutes, avocant à sceleribus? dicunt enim, Justè judicate, cavete vobis à furtis & rapinis, restituite opes injustas suis dominis, cavete vobis à dejerationibus, crapula & ebrietate, odio & invidia, mendaciis & dolis, orate ardenter, frequentate cœtus ecclesiasticos, &c. Non placet diabolo si bona faciamus, vitemus contraria: nihil iniquius ferret, quàm si vitam ex præscripto verbi *Dei* formaremus: Non ergo diaboli sunt qui jubent nos quod bonum est facere, quod malum est fugere.

Ad

Ad hæc, ſpiritus illi veritatem dicunt, diabolus autem eſt mendax, & à *Chriſto* pater mendaciorum appellatur: igitur non eſt dicendum diabolica eſſe Spectra.

Ita reſpondeo ad hoc argumentum: Ad ſuam utilitatem hæc facit. Si ſe conſpiciendum præberet qualis ſua natura exiſtit, parum efficeret. Quæ facit, facit in hunc finem ut ſuis dictis fidem conciliet: utque res alias hominibus obtrudere, eoſque in errores varios inducere & præcipitare poſſit: quo neglecto *Dei* verbo, ſpiritibus illis aures præbeant. An non ſervi impuri ſpiritus, nempe Pſeudo-prophetæ, olim ovillis pellibus tecti venerunt, ſimularuntque ſe plebis commodis ſtudere, quum interim aliud quæſierint, nempe ut authoritatem magnam adepti, alios expilare, ſuamque crumenam auro & argento implere poſſent? An non omnes hæretici hodierno die dicunt ſe à *Deo* miſſos eſſe, cavendum eſſe à ſceleribus, ſtudendum virtuti? Nunquamne audiviſti latrones cum illis in quos in itinere inciderunt, de vita rectè inſtituenda, item de ſuppliciis malorum & præmiis bonorum colloquutos fuiſſe, ut poſtea

postea incautos subitò opprimerent? Quòd diabolus se alium esse simulat, id errores innumeros, superstitiones, & falsos cultus in Ecclesia peperit.

Episcopi progressu temporis neglexerunt *sacras Literas*, voluerunt agnoscere diabolum, cum non nigra & horribili, sed grata & accepta forma veniret, proque angelo lucis eum susceperunt. Bona quædam dicit, ut mala simul immiscat: vera dicit, ut mendacia spargat, eaque hominum mentibus infigat. Sic *Simon* apud *Virgilium* vera falsis miscuit, ut facilius *Trojanos* in nassam illiceret.

Satanas imitatur lusores dolosos, qui simplicem aliquem juvenem sinunt aliquandiu lucrari, ut ludendi avidum postea auro & argento emungant. Imitatur illos qui aliquoties commodatam pecuniam bona fide creditoribus restituunt, & promissis stant, ut postea ab eis magnam vim pecuniæ impetrare, eosque fallere queant.

Diabolus dicit aliquando quæ vera sunt, ut verbis suis conciliet fidem, & incautos facilius decipere possit. Qui vendere vult merces suas malas, non so-

solùm verbis laudat, sed ita ornat ut optimæ videantur, quò vendibiles fiant, hanc artem etiam diabolus novit: sua fucat, ut aliis pro veris obtrudere possit.

D. Ambrosius.

D. Ambrosius scribit in suis Commentariis in primam Epistolam ad Thessalonicenses capite quarto, hæc verba exponens, Spiritus ne extinguatis, omnia probate, quod bonum est tenete. Solent spiritus immundi fallaciter, quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt, acceptò ferantur & mala. Et quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem: sed per id quod licitum est, commendetur illicitum, authoritate nominis, non ratione virtutis, &c.

Chrysost. causas reddit ob quas diabolus aliquando vera dicat.

Huc etiam pertinent quæ apud *D. Chrysostomum in secundo sermone de Lazaro leguntur.* Ostendit multos simplices homines in hoc errore fuisse, quòd putarint animas violenta morte decedentium, dæmonas fieri. Addit, diabolum multis maleficis ipsique inservientibus, qui in hoc errore fuerunt, persuasisse, ut tenera multorum adolescentũ corpora trucidarent, sperantes futurum ut fierent dæmones, &

ipsis

ipsis inservirent. Postea mox adjicit: Verùm non sunt ista vera, non sunt inquam. Quid igitur est quod dæmones dicunt, Monachi illius sum anima? Sanè propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt: decipiunt enim auditores. *Quapropter & Paulus ipsis, tametsi vera dicentibus, silentium imposuit, ne ex veris nacti occasionem post admiscerent mendacia, fidemque sibi conciliarent. Quum enim dixissent, Isti homines servi Dei altissimi sunt, annunciantes vobis viam salutis: indignatus Apostolus silentium imposuit spiritui Pythonico, atque exire jussit. Et tamen quid mali dicebant? Isti homines servi Dei altissimi sunt:* sed quoniam plerique simpliciores non norunt semper dijudicare quæ à dæmonibus dicuntur, semel eos excluſit à fide: Ex infamium numero es, inquit, non est tuum liberè loqui: tace, obmutesce: non est tuum prædicare. *Apostolorum* ista est authoritas. Quid usurpas quod tuum non est? Sile, infamis esto. Sic & *Christus* dicentes ipsi dæmones, Novimus te qui sis, increpavit multa cum acrimonia: nobis legem præscribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiam si tibi quod verum est dixerit.

Act. 16.

Marc. 1. Luc. 4.

His

His igitur cognitis, ne prorsus credamus dæmoni: imo etiam si quid veri loquatur, fugiamus ab illo, & aversemur. Nam sana dogmata salutiferaque non à dæmonibus sed ex *divina Scriptura* licet exactè discere.

Ut igitur cognoscatis non posse fieri, ut anima corpore egressa veniat sub tyrannidem dæmonum, audite quid dicit *Paulus*: *Qui enim moritur, justificatus est à peccato: hoc est, non amplius peccat.* Nam si animæ in corpore manenti diabolus non potest inferre vim, perspicuum est quòd nec egressæ &c.

Ex his omnibus liquet, quidnam illa sint quæ videntur & audiuntur.

TER

TERTIA PARS
IN QUA OSTENDITUR QUARE, VEL IN QUEM FINEM DEUS

SPECTRA

Apparere, atque alias res mirandas sinat accidere:

ITEM,

Quo pacto se homines gerere debeant, quibus aliquid hujusmodi objicitur.

CAP. I.

Deus Spectris suos fideles exercet, & infideles punit.

DEinceps jam sequitur, quare *Deus spiritus*, *Spectra*, *lemures*, &c. sinat apparere: Item, quare

quare res alias ſtupendas & miraculoſas fieri permittat. Deinde quo pacto ſe homines gerere debeant, quibus aliquid hujus generis offertur.

Deus in bonum fidelium hæc permittit.

Deus ſpiritus ſuis electis in bonum, reprobis verò in pœnam apparere ſinit: utque fidelibus omnia in bonum cooperantur, ita hæc quoque. Etenim ſi ſint boni ſpiritus qui conſpiciuntur à piis, eoſque admonent & defendunt: hinc colligunt *Dei* curam, providentiam & paternum affectum erga ſe. Sin verò mali ſint ſpiritus, ut ferè ſunt, fideles ad veram pœnitentiam incitantur. Cavent ſibi diligenter per totam vitam ſuam, ne hoſtis humani generis, qui in omnes occaſiones intentus eſt, eiſque ſubinde inſidiatur, eos in ſcelera præcipitet, & majorem ipſos lædendi & vexandi facultatem arripiat. *Deus* etiam fidem & patientiam eorum hac ratione exercet atque probat, ut in Verbo ſuo perſiſtant: nihil quod cum eo pugnat, utut ſpeciem plauſibilem habeat, admittant: neque quicquam contra *Verbum* agant, licet ſpiritus illi non ſtatim eos deſinant vexare. Sinit præterea *Deus* hanc quoque ob cauſam à

Spe-

Spectris suos exercere, ut sint demissiores.

In secunda ad Corinthios duodecimo capite dicit Paulus, Ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi stimulus per carnem, nuntius Satanæ, ut me colaphis cæderet, ne, inquam, supra modum efferrer. Super hoc ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea per infirmitatem perficitur. Nisi Deus obstaculis quibusdam nobis viam clauderet, nos ipsos non cognosceremus, non intelligeremus quibus rebus nobis opus esset: non tam ardenter oraremus ut *Deus nos à malo conservet, fidem roboret, patientiam largiatur, & alia.* Neque aliorum malis afficeremur, qui vexantur à *Spectris*: diceremus eos nescire quid dicant, multos fingere terrores. Adhæc, si alii audiant pios à *Spectris* exerceri, in suis morbis & aliis ærumnis sunt patientiores, cogitantes sua mala exigua esse, si cum aliis conferantur: nihil enim est atrocius, quàm si quis à diabolo exagitetur.

Quod attinet ad infideles, oportet & ipsos velint nolint fateri, quòd dia- *Deus infideles punit.*

boli sint. Multi enim nunquam credituri essent bonos vel malos angelos aut spiritus esse, nisi reipsa aliquando experirentur. Permittit hæc *Deus* ad castigandum ipsos, Quoniam enim veritati non dant locum, & omnino decipi volunt, æquum est ut ex *Spectris diabolicis* audiant quid facere, quid omittere debeant, & aliis quoque modis à malo spiritu ludificentur.

Ita enim *Deut. 13. cap. legitur, Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium somniet, dederitque tibi aut signum aut portentum, eveneritque signum & portentum quod prædixit tibi, atque is dixerit, Eamus post deos alios (quos non noviſti) & serviemus eis: non audies verba prophetæ illius, aut ejus qui somniaverit hujusmodi somnium: quia tentat vos Dominus Deus vester, num sitis amantes Domini Dei vestri in toto corde vestro, & in tota anima vestra. Incedite post Dominum Deum vestrum, illum timete, illius præcepta custodite, illius voccm audite, illi servite, atque illi adhærere. addit prophetam illum vel somniatorem supplicio capitis afficiendum esse.*

Ex

Ex his verbis non solùm videmus *Deum* permittere, ut illi nebulones res mirandas efficiant: sed etiam in quem finem hoc permittat, nempe ut tentet suos fideles, hoc est experiatur quàm constantes sint, quàmque sibi fidem servaturi sint, si spiritus illi veniant & prædicent res futuras quæ postea eveniant.

Joannis 3. cap. dicit Christus servator noster: Hæc est condemnatio, quòd Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui mala agit, odit lucem: nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius, &c. Quibus verbis servator noster ostendit quare mundus damnetur, nempe ideo quòd lucem *Verbi divini*, quin ipsum *Christum*, qui lux est mundi, quique nobis in Verbo proponitur, non recipit, sed ad claram lucem oculos claudit, & tenebras, hoc est, errores varios, superstitiones, scelera, verbo *Dei* anteponit. Quòd si *Deus* ingratum mundum propter hæc damnat & abjicit, quid mirum si *Spectris* & variis apparitionibus eos vexet? *Joan. 5. cap. dicit Christus, Ego veni nomine Patris mei nec recipitis me: si alius venerit*

rit nomine ſuo, illum recipietis. *Chriſtus* ſaluti eorum ſtudebat & incolumitati: hoc nolebant illi agnoſcere, ſed rejiciebant illum, juſtum itaque fuit *Dei* judicium, ut alios reciperent qui ſuis commodis utilitatique inſervirent: qualis fuit *Theudas*, *Judas Galilæus*, & alii plurimi falſi doctores, & ſeditioſi ſeductores. Quare ſiqui *Chriſtum* ejuſque miniſtros audire dedignantur, fit juſto *Dei* judicio, ut *Spectris* & id genus aliis aures præbeant. 2 *Th.* 2. *ſcribit Paulus de Antichriſto, quòd magna tyrannide in Eccleſia Dei uſurus ſit*: oſtendit contra quos, & quare *Deus* ei hoc permiſſurus ſit, dicens: *Erga illos qui pereunt, eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, in hoc, ut ſalvi fierent. Et propterea mittet illis Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed approbaverunt injuſtitiam.* *In* 2. *ad Tim.* 4. *cap.* obteſtatur Paulus ſuum diſcipulum, ut in concionibus diligens ſit & aſſiduus. Reddit hanc cauſam: *Nam erit tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed juxta concupiſcentias ſuas coacervabunt ſibi doctores hi quibus pruriunt aures: & à veritate quidem aures aver-*

avertent, ad fabulas verò convertentur. Intelligimus nunc quare *Deus* loco bonorum doctorum falsos doctores, seductores, & spiritus diabolicos sinat homines fallere: ideo scilicet, quòd *verbum suum* vel prorsus abjiciunt, vel parum curant, & pios atque fortes concionatores ferre non possunt.

Hujus rei exempla aliquot adducemus. *Pharao* contemnebat *Deum* ejusque servos *Mosen* & *Aaronem*, quare à *Deo* ita excæcatur, ut se regendum præbeat suis Magis, & tandem in mari Erithreo miserabiliter pereat. *Pharao.*

Saul nolebat *Samuelem*, qui optimè in Regem affectus erat, audire, non amore, ut par erat, sed odio eum prosequebatur, & omnes alios à quibus verè amabatur: contemnebat verbum *Dei.* Factum itaque est ut in summo discrimine pythonissam consuleret, quæ *Samuelem* ex mortuis revocaret, quò ejus consilio uti posset quem viventem contempserat, & audire dedignatus fuerat. Hæc quendam revocat qui non aliter *Samuel* dicitur, quàm falsi dii, Dii nominantur: cùm revera dii non sint, sed ligna & lapides, *Saul.*

imò ut 1 Cor. 10. *Paulus* dicit, dæmones. Fictitius hic *Samuel* eum non erigit, non consulit ei sed prorsus ad desperationem adigit. idem eveniebat *Sauli* quod contumacibus illis liberis, qui pios parentes suos aspernantur, bona eorum consilia respuunt, optarèntque eos sepultos esse: tandem eò recidunt res ipsorum, ut longum iter libenter conficerent, modò semel eos sibi consulentes audire concederetur.

Achab. Aliud exemplum: *Achab rex Israël*, & conjunx ipsius *Jezabel*, multos pios habebant *Prophetas*, inter quos *Helias* erat, facultate edendorum miraculorum ornatus, illos verò non solùm contemnebant, sed & omnes jugulabant quotquot consectari poterant. Præcipuè verò *Heliæ*, qui magno
3. Reg. 22. zelo præditus erat, insidiabantur. Baalistæ in summa apud Regem erant gratia: præcipuè verò Reginæ in deliciis erant. Cùm autem tempus appeteret ut *Achab* suæ idololatriæ & scelerum, in quibus diu vixerat, dignas debitasque pœnas lueret, consilium inibat cum affine suo *Josaphato*, ut junctis copiis *Ramoth Gilead*, urbem sibi à *Syris* ademptam, recuperarent. *Josa-*

phato

Phato probabatur quidem hoc consilium, volebat tamen *Deum* consulere. *Achab* itaque convocabat synodum 400. sacerdotum *Baalis*, qui uno ore eum incitabant ad expeditionem, victoriam certam ei promittentes. Unus ex illis, nomine *Sedechias*, tam confidens erat, ut ferrea cornua fronti applicans diceret. His cornibus *Syrios* ventilabis. *Josaphatus* verò, cui res suspecta erat, interrogabat num *Propheta* aliquis *Dei* præstò esset, quem consulerent. *Achab* respondebat, Est adhuc vir quidam per quem possemus Dominum quærere, at ego prosequor eum odio, quoniam nunquam mihi prædicit fausta, sed duntaxat infausta, huic nomen est *Micheæ*, *Josaphatus* eum omninò audiendum judicabat, Statim igitur Rex per cubicularium suum eum accersit. Nuncius ille dicebat *Micheæ*, Omnes prophetæ uno ore fausta prædicunt Regi, quæso ne tu contraria afferas. Cùm autem ad Reges qui considebant in thronis suis, induti splẽdidis vestibus, & ad prophetas qui ante illos stabant, adduceretur, interrogabat eum *Achabus* num contra *Ramoth Gilead* suscipienda esset expeditio? ille ironicè dicebat, Ascende,

Concilia errant interdum.

fœliciter rem geres. Rex qui ex pronunciatione intelligebat eum non serio loqui, obtestabatur eum ut quod res erat diceret. Dicebat igitur se vidisse universum *Israelem* dispersum in montibus, veluti oves carentes pastore, Dominumque dixisse, Illi dominum non habent revertatur quisq; domum suam incolumis. Achab dicebat, An non dixeram tibi, hunc hominem nihil boni mihi vaticinari? Pergit *Propheta* dicens, Audi *verbum Domini:* Vidi Dominum sedentem, in solio suo, & omnis exercitus cælorum stabat juxta eum ad dextram ejus, & ad sinistram ejus, dicebatque Dominus, Quis persuadebit *Achab* ut ascendat & cadat in *Ramoth-Gilead?* Quumque alius aliud diceret, egrediebatur spiritus quidam, & stans coram Domino ait: Ego persuadebo ei, Aitque Dominus ad eum; Qua in re? Is ait; Egrediar, eroque spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixit ergo, Persuadebis, simulque efficies: egredere itaque, & fac sic. Et nunc en dedit Dominus spiritum mendacem in os omnium prophetarũ istorum, loquutusque est Dominus malum super te. Accedens autem Sedechias percussit *Micheam* in maxillam, & ait,

& ait, Ubinam transivit spiritus Domini à me, ut tibi loqueretur? *Micheas* & illi prædicebat quid ipsi eventurum esset. Rex mandabat eum conjici in carcerem, panem & aquam ei dari, donec è bello rediret. Tunc *Micheas* dicebat, Si reversus fueris incolumis & salvus, Dominus non est loquutus per me. Jubebatque omnem populum auscultare quid diceret. Reges nihilominus pergebant, instruebant se, & copias suas educebant contra hostes. *Achab* interfectus est in prælio: *Josaphat* qui se impio conjuxerat, venit in maximum vitæ discrimen, &c.

Hanc historiam paulò prolixiùs recitavi, ut videamus quomodo *Deus* illis qui verbum suum contemnunt, justo judicio spiritus mittat, à quibus decipiantur & fallantur.

Idem toti Christiano populo, aliquot seculis post *Apostolorum* tempora accidit. Nam cùm verbum *Dei* non amplius in tanto precio haberetur ut par fuisset, sed homines suos affectus illi anteferrent: cùm propter fidem & veritatem nulla adire pericula vellent, sed omnes religiones eodem ferè loco haberent, *Deus* punivit eos, ut inciperent auscultare seductoribus, qui

eorum affectibus se attemperabant: dedicerunt ex simulachris, quos libros Laicorum vocarunt, ossa illorum exosculati sunt & auro incluserunt (si modò ossa illorum fuerunt) quorum doctrinam antea recipere dedignati sunt: falsis apparitionibus & *Spectris* diabolicis fidem adhibuerunt: atque ita magnæ suæ ingratitudinis dignas pœnas persolverunt. Ut juvenes qui suos magistros audire nolunt, postea magno suo dedecore aliis quibus nollent coguntur obtemperare: ita accidit miseris illis hominibus, magis magisque deflexerunt à verbo *Dei*: ita ut tandem amissa veritate, quidam sursum, quidam deorsum cursitarint, ut peccatorum remissionem consequerentur: ille huic, hic alteri spiritui fidem adhiberet, id quod nemo inficiari potest.

Antea quoque idem *Gentilibus* acciderat, ut *ex Epist. ad Rom. 1. cap.* & ex ipsorummet libris apparet. Multos deos coluerunt, multa signa & prodigia inter ipsos edita sunt, multas deorum apparitiones habuerunt, multa oracula: quæ ad prædicationem *Apostolicam* omnia conticuerunt. D. *Athanasius scribit De humanitate Verbi*,

Verbi, 55. & 67. *folio*, Olim erant *Delphis* in *Bœotia*, *Lycia*, & aliis in locis quæ ipse nominat, oracula: nunc postquam *Christus* omnibus undique prædicatur, cessavit hæc infania, &c. Ad hunc modum scribunt etiam *Lactantius*, & alii. Postquam nostro tempore, traditionibus humanis repudiatis, *Euangelicam* doctrinam avidè amplexi sumus, apparitiones animarum sive spirituum tantùm non evanuerunt. Aut quis, quæso, animam vel spiritum audit errare, & (ut vocant) suffragia petere? Tumultus illi nocturni spirituum rarius exaudiuntur.

Cap. II.

Quæ sit causa quòd nostris temporibus tam pauci spiritus conspiciantur vel audiantur.

Lux *verbi Dei* pellit spiritus illos, qui suas res libenter in tenebris expediunt. Accedente clara luce, umbræ & tenebræ evanescunt. Princeps tenebrarum horret lucem, & ubi homines *Deum* Patrem per solum

Christum adorant, in ipsum credunt, & illi soli se committunt, non habet locum. Si homines verbum *Dei* magnifaciunt, non sinit eos ita decipi & falli, ut illos qui præter *Dei* verbum alia admittunt.

Jocum quendam hoc loco dissimulare non possum: Cùm mentio aliquando incideret quodam loco, de visionibus & *Spectris*, quidam Euangelicus dicebat cuidam Papistæ, Vel hinc colligere debebatis nostram religionem veram esse, vestram falsam, quòd ab eo tempore quo Euangelium nobis prædicatum est, pauca *Spectra* conspiciuntur. Alter respondebat ναὶ τὸ σίαιο, imò hinc colligere debetis, vestram religionem malam esse, nostram bonam: diabolus enim illos infectatur, quos metuit sibi elapsuros.

Benedictus in cœnobio multos, in foro unicum videt dæmonem.

Non dissimile est id quod *Æneas Sylvius* (qui posteà *Papa* factus, *Pius* II. dictus fuit) *in historia concilii Basilienſis*, ex vita *S. Benedicti* patris monachorum recitat ille monasterium quoddam sanctorũ virorum visitans, infinitas dæmonum vidit catervas, qui cum sanctis patribus conflictantes, bona quæ illi patrabant opera, perturbare conabantur, mox ad nundinas multis

tis mercibus multisque contractibus frequentes se conferens, unicum duntaxat dæmonem, eumque tristem & ociosum in specula quadam constitutum aspexit: miratusque *Benedictus*, quòd locum sanctum & orationi deditum dæmonibus plenum, locum autem prophanum & perjuriis aliisque delictis occupatum, ab uno tantùm dæmone custoditum inveniisset, adjuravit dæmonem ut sibi causam prodere-ret. ille respondit, locum sanctum expugnatione dæmonum indigere: qui autem sua sponte peccarent, his non opus esse fraude diabolica.

Interrogo te Papista, an non idem vetustis temporibus *Gentiles* dicere potuissent *Christianis*, cum interrogarent cur oracula ipsorum conticuissent? item cur tam raræ essent apparitiones? Si spiritus illi vel *Spectra* sunt diaboli, cur dicitis & creditis animas esse hominum mortuorum quæ opem expetant? Veram causam tibi aperiam, cur tam raræ sint illæ visiones: Quoniam diabolus videt nos ipsius versutiam & dolos intelligere, alios sectatur, aliis insidiatur. Ut cùm noctu digitos pedis alicujus reste vis confringere (ut solent aliquando homines

jocosi, animi causa iter facientes) eumque trahere, si videas eum dolum sentire, statim eo relicto confers te ad alium qui stertit, ideoque dolum non sentit.

Sunt aliæ quoque causæ ob quas rariora sunt hæc. Si quis te semel, iterùm, tertiò fallat, deinceps aperis oculos, vides quid agat, quid moliatur: ita cùm sæpius decepti simus ementitis visionibus, non facilè credimus, si nobis dicatur aliquam animam vel spiritum apparuisse. Piscator, ut est in proverbio, ictus sapit. Ad hæc cùm pauci nunc sibi metuant à *Spectris*, facilè invenirentur, qui quærere ea vellent, videre imò contrectare, hoc scitur: ideo nemo facilè personam induit, aut aliàs animam esse mentitur. Pueris facilè persuadetur adesse virum atrum, proceram fœminam, quæ in saccum plorantes condat, &c. sed postquam adoleverint, non amplius larvis & hujuscemodi sermonibus terrentur: ridebunt tuam stultitiam si deinceps sic terrere eos instituas. Ita, cùm pueri essemus in *Scripturis*: hoc est, sensum earum non assequeremur, potuerunt nobis multa persuaderi. Nunc cùm illas in omnibus linguis legimus,

in

in illis quotide proficimus, non patimur nobis ita illudi, nec cuives apparitioni credimus. Quot *Spectra* pepulit *Bernenſium* monachorum detecta malitia? Terriculamenta in hortis & agris eriguntur ad pellendas aves, quæ etiam tandem nugas eſſe ſentiunt, nec amplius ejuſmodi ludibriis abiguntur: quid igitur mirum, ſi poſt maximam pietatis & veritatis jacturam, homines quantumvis ſimplices, tandem oculos aperiant?

Cap. III.

Quare Deus fragores inſolitos, & inconditos ſtrepitus, ante mutationes inſignes, & alias ſinat audiri.

QUod quædam præcedunt obitum hominum, item inſignes mutationes & excidia, putà fragores mirabiles, & inconditi fremitus, id etiam in bonum fit fidelium, & pœnam infidelium. His enim oſtendit *Deus* nihil temerè fieri, ſed vitam, mortem, res ſecundas & adverſas in *Dei* manu poſitas eſſe. Res nequaquam habent, ut

Epicu-

Epicurei dicunt, videlicet *Deum* non curare sive quis moriatur, sive nascatur, sive bene sive malè habeat, sive respublicę floreant sive intereant. *Christus ipse nos docet, ne passerculum quidem super terram cadere citra Dei voluntate. Solomon & Daniel dicunt, Deum cor Regis in sua manu habere, & Reges constituere atque deponere.* Proinde si fragores illos & alia id genus audiamus, erigere potius nos debent quàm terrere. Deinde monet nos *Deus* his rebus, ne socordes simus & securi, nam omnibus seculis non verbis solùm, sed & rebus mirandis suos excitavit. *Gentiles* quoque miraculosas illas res pro admonitionibus suorum deorum habuerunt: ut passim in historiis eorum est videre. Etsi autem pleraque à cacodæmone fieri verisimile sit, nihilominus tamen videmus his in rebus *Dei* optimi maximi erga nos paternam curam & benevolentiam, defensionemque contra insidias diaboli. Etsi enim diabolus irrequietus sit, & in omnes occasiones paratus ad perdendum nos, non tamen lædere nos potest, domino pro nobis excubante, nosque protegente. Impii, qui verbi *Dei* prædicationem contemnunt his

rebus

rebus terrentur, ut quò se vertant nescientes, fateri cogantur *Deum* procurare res humanas: bonos item & malos spiritus existere. Alioqui non possent cohiberi, sed majoribus malis fideles afficerent, nisi *Deus* hujusmodi rebus terrorem ipsis incuteret, eosque veluti fræno retraheret.

Cap. IV.

Quo pacto illi se gerere debeant, quibus boni vel mali spiritus apparent, & aliæ res mirandæ offeruntur: & primo loco, quomodo se Gentiles & Judæi in hujusmodi casibus gesserint.

UT rectius intelligamus, quo pacto nos gerere deceat, si aliquid apparet, sive bonum sit sive malum, primo loco indicabimus quomodo se *Gentiles & Iudæi* olim in hisce casibus gesserint.

Quid Gentiles receperint.

Apud *Gentes* errantes illi spiritus non solùm animas se esse dixerunt, sed etiam indicarunt quid in eorum gratiam facere conveniat & expediat: nempe Feralia & Parentalia celebran-

da esse, corpora eorum sepelienda, templa extruenda, ferias peragendas, atque alia id genus.

Suetonius scribit *Caligulæ imperatoris* cadavet clàm in hortos *Lamianos* deportatum, & tumultuario rogo semianibustum, levi cespite obrutum esse, postea per sorores ab exilio reversas erutum, crematum, sepultumque. Priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos. In ea quoque domo in qua occubuerat, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec illa ipsa incendio consumeretur. Apud alios quoque scriptores legimus, illos qui non legitimè sepulti erant, vel si tempore belli usitatæ ceremoniæ intermissæ fuissent, umbras vel suis vel aliis apparuisse, questas esse, rogasseque ut & justa & aliæ ceremoniæ in eorum gratiam haberentur: unde Cenotaphia nata sunt, Septimæ, Tricesimæ, Anniversaria sacra, de quibus multa occurrunt apud Ethnicos scriptores, & apud *Lilium Gyraldum* in libello de *sepultura*, ex veteribus Poëtis aliqua commemorantur: item apud *Polyd. Virgilium de invent. rerum lib. 6. cap. 10.* Quosdam petiisse post suum obitum ut sepelirentur;

tur, suprà in *secunda parte*, 1 *cap.* exposuimus. *Cicero* scribit *lib.* 5. *de Legibus*, quod *Romulus* conditor urbis *Romæ*, non longè ab *Attici* ædibus inambulans post excessum suum, *Proculo Julio* dixerit se deum esse & *Quirinum* vocari, templumque sibi dedicari in eo loco jusserit.

Ovidius scribit lib. 5. *Fastorum*, *Remum Faustulo & Accæ Laurentiæ* uxori illius, nutrici suæ, noctu apparuisse, questum esse de miseranda sua morte, eosque rogasse in hoc essent, ut dies illa quo cæsus erat, inter feriatos haberetur. *Romani*, teste *Ovidio lib.* 2. *Fastorum*, celebrarunt mense *Februario Feralia*, quibus diis manibus justa solvebantur, & epulæ ferebantur ad sepulchra ab his quibus jus erat ibi parentare, unde *Feralia Festo* & *Varroni* dicta sunt. Ponebantur autem epulæ in his sacris super silicem, quæ inde, ut *Servius* dicit, *Silicernium* dicebantur: quo vocabulo quidam significari volunt funebre convivium, quod senibus exhibetur. *Donatus*, *Silicernium* esse dicit cœnam, quæ infertur diis manibus: quòd eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui eam inferant, cernant, neque deguſtent, &c. *Feralia*

&c. Appellabantur etiam *Parentalia*, sacra in quibus pro parentibus seu majoribus extructæ epulæ sepulchris ferebantur. Quamvis autem manes parvis muneribus placari crederent, lacte, vino, & aliis rebus quarum apud *Ovidium* fit mentio: tamen etiam mactabant victimas, unde quidam à feriendis pecudibus, *Feralia* putant dicta esse. Sacrificiis addebant preces, accendebant lumina. Quum *Romani* bellis impediti olim intermisissent *Parentalia*: putabant iratos manes, eam ob causam tempestates & pestem ortam esse, & egressas è sepulchris umbras defunctorum errasse cum querelis circa sepulchra, item per urbis vias & per agros. Duravit hoc festum undecim diebus, quibus nuptæ à viris secumbebant, nubiles nuptias non contrahebant, simulachra deorum celabantur. Umbræ extinctorum quum ad epulas venirent, errabant circa sepulchra & pascebantur *silicernio*.

Parentalia.

Lemuria.

Mense Majo celebrabatur noctu festum quod initio *Remuria*, postea *Lemuria* vocarunt. Hoc festum non multùm à Feralibus differt, quæ ad placandos Lemures instituta fuerunt. De Origine eorum & ritibus vide *Ovidium lib.*

lib. 5. *Fast.* Surgebat intempesta nocte qui umbras placaturus erat, nudis pedibus incedebat, aqua fontana se perluebat. Fabas quas ore versaverat, à tergo jaciebat, dicebatque se illis redimere, pulsabatque æra, & orabat ut umbræ abirent: quòd si novies feciſſent, perfeciſſe se putabant sacra, per triduum autem celebrata fuerunt. Sacrificia quæ pro inferis fiunt, Inferias vocant.

Apud *Lucanum legitur de umbris Syllæ* & *Marii* expiatis. Suprà diximus *Athenodorum* philosophum ossa quæ in domus vestibulo *Athenis* effodiebantur, jussisse legitimè sepeliri, &c.

Veteres *Judæi* habuerunt apertum *Dei* mandatum, ne pseudo-prophetarum miraculis moverentur: & disertè eis vetuit, ne consulerent mortuos. *Saul* initio sui regni quum pietati adhuc studeret, magos & veneficas delevit. Quo pacto nostris temporibus Judæi se gerant apparentibus *Spectris*, non quidem memini me unquam audire vel legere: sed ut in aliis rebus, ita hac quoque in parte superstitiosos esse, mihi non est dubium. *Quid Judæi fecerint.*

Cap.

CAP. V.

Quo pacto Christiani, quibus Spectra se offerunt, sese gerere debeant, & primùm forti esse animo debent, & firmi in fide.

QUomodo verò *Christiani* se in hoc casu gerere debeant, nobis (ut & alia quæ ad salutem nostram pertinent) in *sacris Literis* plenissimè ostenditur, Nempe ut primùm fortes simus, impavidi, & constantes in vera fide. Nam si boni sint angeli qui se ostendunt, in bonum nobis à *Dei* mittuntur: Si sint mali, non possunt nobis quantumvis cupiant, absque *Dei* permissione, mala inferre. Si nihil est quàm vana persuasio, aut inane simulachrum, stultum profectò esse timere. Naturale quidem est, ut quum hæc nobis offeruntur, horrescamus. Nam pii viri in *veteri & novo Testamento* etiam ad bonorum angelorum occursum & conspectum expaverunt: animus tamen iterum colligendus est. Cum discipuli *Christi Dominum* viderent inambulantem aquis, & navi appro-

propinquantem, putabant se *Spectrum* videre consternabantur, clamabant præ metu: *Dominus* autem dicebat illis, *Bono animo este, ego sum, ne terreamini.* Idem legitur *Lucæ* 24. *cùm redivivus eis appareret, & illos turbatos videret. Matt.* 10. *cap. Ne metuatis vobis ab his qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed metuite magis illum qui animam & corpus potest in gehennam perdere.* Gratum esset diabolo, si ipsum subinde metueremus.

Etsi verò spiritus aliquis tumultuetur & perstrepat, ne expaveſcas. Etenim si ideo tumultuatur, ut tibi formidinem injiciat, ne cures: sed sine eum quandiu voluerit tumultuari, si videat te impavidum esse, recedet à te. Quòd si placet, potes illi dicere: Abi in malam rem: nihil juris habes in me, qui credo in *Christum* servatorem, ego possessor sum hujus domus, non tu, cui alius locus deputatus est, &c. Si sentiat se non metui, ejusque tumultus non curari, non diu manebit. Rem nota similitudine declarabo. Sunt homines qui si putent alios sibi ab eis timere, simulant se velle ensem stringere, aliquando stringunt & lapides feriunt, fre-

Spiritus tumultuantes.

fremunt & vociferantur. Sin verò intelligant animosos esse, & fortiter, si necessitas postulet, pugnaturos, statim recondunt gladium suum in vaginam: ita si diabolus videat te fortem esse, & gladio verbi *Dei* armatum, alios quæret, quibus terrores incutiat.

Quòd si *Deo* visum est, te ad tempus per cacodæmonem exercere, ut Jobum, patienter feras quæ tibi ab illo inferuntur, idque propter *Domini* præceptum. Scias quòd neque opes, neque corpus, nedum animam, citra *Dei* permissionem vel tantillum lædere possit. Si verò *Deus* ei permittat ut in corpore te affligat, quocunque modo id fiat, cogita *Deum* ad tuam utilitatem id facere, qui aliis per alias instrumenta graves morbos immittit, aut aliis malis eos exercet. Fortis esto, & constans in fide. Quisque tamen ab audacia, temeritate & præcipitantia sibi caveat.

Christus vicit cacodæmonem.

Erigat te quòd scis *Christum* diabolum vicisse, sicut ipse similitudine de forti armato, *Lucæ* 11. *cap. docet. Joannis* 12. *&* 16. *dicit. Princeps mundi hujus ejicietur foras*: nimirum ex cordibus illorum qui inhærent *Verbo Dei*, & mundum, cujus princeps ille exi-

sit,

stit, non amant. Iste enim dominatur illis qui terrena nimis amant.

1. *Joannis* 3. *dicitur Filium Dei ideo apparuisse, hoc est, venisse in hunc mundum, ut opera Satanæ destrueret.* Multa in *Euangelica historia* miracula extant, quæ ostendunt *Christum* vel verbo dæmonia pepulisse. Etsi *Deus* ad tempus Satanæ multum concedat, tamen limitem ei præfixit, quem transgredi non potest: fideles non ulterius ab eo sinit tentari, quàm ferendo sint. Illis quibus dat magnas afflictiones, gratiam quoque suam abundè submistrat.

Satan versatur inter homines.

Non mirum nobis videri debet, si interdum spiritus conspiciantur vel audiantur. Satan enim, ut *Petrus* testatur, passim obambulat, in domibus, agris, sylvis, aquis, ignibus: non tamen semper conspicitur, nec id potest nisi *Deus* ei permittat. Quòd non semper à nobis conspicitur (varias enim qui sua natura invisibilis est, formas assumit) vel auditur, *Dei* bonitati acceptum feramus, alioqui vix momentum quiesceremus. Sin verò interdum mali spiritus, aspectabili forma nobis, *Deo* volente occurrant, vel ædes infestent, non est pu-

tandum, eos antè in domo nunquam fuisse.

CAP. VI.

Illos qui à Spectris vexantur, imprimis decet precibus insistere, jejuniis, sobrietati, vigiliis & pietati vitæ studere.

ET quoniam boni angeli rariùs hominibus nostra ætate apparent, (longè enim alia ratio est hominum in *novo Testamento*, quàm in veteri, quibus suos angelos *Deus* crebrò misit) mali frequentiùs, quando cubitum nos conferimus, quando surgimus; eò diligentiùs nos *Deo* commendare debemus.

Noster servator inter alia nos orare docuit, *Libera nos à malo.* Ad hæc *Matth.* 17. dicit, *diabolum non depelli nisi per preces & jejunia.* De illis qui diris & execrationibus dæmones pellendos putant, in fine libri dicam. *Matth.* 26. *Vigilate & orate, ne in tentationem incidiatis. Lucæ* 22. dicit *Petro, Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: sed ego rogavi pro te, ne*

defi-

deficiat fides tua. Hodie quoque intercedit pro nobis ad dextram *Patris* sui cæleſtis. *Vetuſti patres* etiam in omnibus periculis & ærumnis opem divinam implorarunt, cujus rei multa exempla congerere ſupervacaneum eſſet. Utile quoque eſt preces totius *Eccleſiæ* petere, quando à *Lemuribus* vel *Spectris* vexamur. Scimus enim preces Eccleſiæ in hoc & aliis caſibus utiles atque efficaces eſſe: & fideles in ſuis ærumnis illas ſemper petiviſſe. Vult etiam *Deus* ut in hac vita fideles precibus ſuis ſeſe mutuum ſublevent. Quòd autem Sancti poſtquam hinc exceſſerint, pro nobis orent, vel quòd nos preces ipſorum petere debeamus, nullum *Dei* præceptum vel exemplum in *ſacris literis* extat. *Intercessiones.*

Apoſtoli, quoque hac via diaboli inſidiis reſiſtendum docent. *S. Paulus ad Epheſ. 6. Petrus in 1. cap. 5. Sobrii, inquit, eſtote, vigilate: quoniam adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem devoret. Cui reſiſtite ſolidi fide, &c.*

Quando homines ſecuri ſunt & negligentes, voluptatibus dediti, & immerſi ebrietati, crapulæ, avaritiæ, adulterio aliiſque ſceleribus, ibi locum

Sancta vita pugnandum contra diabolum.

cum habet Satanas. Quare vigiliis, precibus, jejuniis ſtudendum eſt, & ſanctè vivendum, *verbum Dei* libenter & frequenter audiendum, libenter de eo loquendum, legendum, ut *Spectra* illa diabolica à nobis depellamus. Si munus aliquod publicum geras, bona fide illud exequere: opes injuſtas reſtitue ſuis dominis, aut in pios uſus confer, &c. Si homines neque *Deum* neque verbum ipſius curant, mirum non eſt *Spectra* illis apparere: permittit enim hoc *Deus* ut humilientur & in ſe deſcendant.

Horribile hoc eſt, quòd quidam ſe dedunt cacodæmoni, ne ab ipſo affligantur: illi cogitare debebant, ſi hoc faciant, ſe in perpetuum à malis ſpiritibus cruciandos eſſe, niſi veram pœnitentiam agant, & ad *Deum* iterum convertantur.

CAP.

Cap. VII.

Spiritus qui apparent, meritò nobis ſuſpecti eſſe debent: non ſunt conferendi ſermones cum ipſis: nihil ex ipſis eſt diſcendum.

OMnes ſpiritus aut apparitiones, nobis non abſque cauſa ſuſpectæ eſſe debent. Etſi enim *Deus* opera & miniſterio angelorum bonorum ad ſalutem ſuorum fidelium utatur, rarius tamen noſtris temporibus apparent. Longè enim aliter poſt *Chriſti* adventum in hunc mundum res habent, quam olim vetuſtis temporibus. Licet tibi videatur quòd bonum angelum videris, tamen nè facilè & temerè ei credas. Si res ipſa poſtea oſtendat bonum fuiſſe angelum, qui de re aliqua præclarè te admonuit, vel ex magnis periculis liberavit: gratias age *Domino*, quòd tam clementer & paternè tecum agat, & tui curam ſuſcipiat, ſtude ipſius voluntati. Sin verò angelus à te conſpicitur, qui tibi blanditur & adulatur, quales ſunt ſpiritus qui opem petunt: jam ante audiviſti, verbis

bis ipsorum fidem nequaquam esse adhibendam. Homines qui blandiuntur, & assentantur, nobis suspecti sunt, cur itaque spiritus illi nobis suspecti non essent? Ne venias in colloquutionem cum illis spiritibus, ne interroges eos quid vel reddendum, vel faciendum, vel quid futurum sit. Ne quæras qui sint, vel quam causam videndos & audiendos sese præbeant: nam si boni sint, gratum eis erit, si nihil audire velis præterquam *verbum Dei*: si verò mali, mendaciis te fallere conabuntur. Cùm *Matth.* 1. *cap. angelus Iosephum per visionem instrueret, propheticæ statim scripturæ testimonium adjunxit. Si ne angelo de cælis venienti credendum est, quis vitio ne hîc vertet, si spiritibus & somniis suspectis non credamus? Christus* & *Apostoli*, quantumvis edendorum miraculorum facultate instructi essent, tamen doctrinam suam *sacris Literis* confirmarunt.

Cùm ipse *Deus Opt. Max. Adamum* interrogaret in *Paradiso* de violato suo mandato, & ille culpam in *Evam* conferret, *Eva* in serpentem, qui ei author fuisset ut de fructu prohibito vesceretur, *Deus* serpentem, hoc est diabolum,

bolum, qui hoc instrumento usus fuerat, nolebat interrogare quare id fecisset, norat enim mendacem esse. Nisi *Eva* colloquuta fuisset cum serpente, nunquam præceptum *Dei* violasset. Si spiritus illi sua sponte nobis multa velint narrare, non sunt audiendi, multò minus sunt adjurandi, ut vera nobis narrent. *Deus* sua lege cavit, ut sæpe diximus, ne quis ex mortuis aliquid sciscitetur.

Deus dedit nobis doctores.

Deus ipse suos fideles *Servos*, *Prophetas*, *Apostolos*, *Euangelistas*, & præcipuè *Filium suum unigenitum*, *Dominum & servatorem nostrum Iesum Christum*, in hunc mundum misit, suosque fideles per illos fideliter & sufficienter instituit, quid credere, quid facere, quid omittere debeant, quinam cultus ipsi placeant, & alia. Per illos de rebus magnis quæ in Ecclesia & imperiis futuræ sint, usque ad beatum illum diem, quo *Christus* mundum judicabit, & generale concilium celebrabit, atque ultimam sententiam proferat, quis bonam quis malam causam habuerit: quo item bonos à malis separabit. *Christus* ipse rediens ex mortuis, non statim in cælos ascendit, sed moram traxit in hisce terris, discipulis suis

& multis aliis redivivus apparuit, ne diceremus, Quis unquam rediit qui nobis nunciarit quis sit status in altero seculo?

Deus literas sacras conservavit.

Adhæc *Deus libros sacros* difficillimis & diuturnis persequutionibus, in quibus tot utiles libri perierunt, ad nostram utilitatem miraculosè in hodiernum usque diem conservavit, & deinceps eos conservabit invitis impiis omnibus.

Deus sacrum ministerium instituis.

Instituit etiam ministerium *Verbi*, ut ad finem usque mundi homines existant, qui *verbum suum* viva voce & scriptis interpretentur, & alios de voluntate *Dei* crudiant. *Verbum ipsius est lucerna, quæ in tenebricoso hoc mundo, qui plenus est erroribus, lucere debet, sicut Psalmo 119. legitur. Ioan. 8. cap. dicit Servatos noster se esse lucem mundi, quem qui sequatur, non ambulat in tenebris.*

Hoc fixum manet. Quare non aliæ patefactiones expectandæ nobis sunt, neque modo miraculoso de cælis, neque ab errantibus spiritibus vel animabus, ut vulgò eas non rectè vocant. Sed fingamus spiritus illos errantes esse mortuorum: necessarium erit ut vel fidelium, vel infidelium sint animæ.

mæ. Si sunt animæ fidelium, nos exemplo *Christi* remittent *ad Sacras literas, dicent cum Deo Patre, de Filio ejus servatore nostro, hunc audite*: Si sunt infidelium & sceleratorum animæ, quis, quæso, illas audire volet, aut fidem dictis eorum adhibere? Præterea hæc quæ animæ illæ fictitiæ dicunt, vel consentiunt cum *sacris Literis*, vel eis adversantur. Si consentiant, recipienda sunt, non propterea quòd ab illis dicuntur, sed quòd *verbo Dei* continentur; sin verò adversentur, nequaquam recipi debent, etsi angelus de cælo diceret, Non fidem adhibes homini tibi familiariter noto, & alias fide digno, qui vivens & integer corpore & anima tecum versatur, si affirmat rem aliquam, quam nosti pugnare cum *Sacris literis*: cur igitur *Spectro* ignoto fidem adhiberes? In causis civilibus testimonia mortuorum rejiciuntur: cur igitur in rebus religionis, erronum illorum testimonia audiremus?

Domino Deo nostro non esset difficile, angelos suos (quibus alioqui utitur ad utilitatem nostram) ad nos mittere, & per illos fidem docere, sed aliter rem instituit. Legimus in *Actis Apostolorum* 10. *cap. quòd per angelum*

Cornelium jusserit Petrum ad se accersere, ut in fide eum instituat. Potuisset mandare angelo de docendo *Cornelio*, sed ordinariam viam sequitur. Optimum igitur fuerit, simpliciter *sacris Literis* inhærere, omnes apparitiones spirituum & somnia atque revelationes, ad Sacras literas, tanquam ad Lydium lapidem exigendas: nihil admittere quod *Sacris literis* non tradatur. Nisi enim hanc cautionem adhibeamus, periculum est ne fallamur. Si idem *veteres Patres* feciissent, non tam longè ab *Apostolica* simplicitate recessissent.

Admonitio D. Augustini.

D. Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. dicit: Sive de Christo, sive de quacunque re alia, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit: Licet si nos: sed omnino quòd sequutus adjecit, Si *angelus de cælo vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.*

D. Chrysostom.

D. *Chrysostomus ad Galat. cap.* 1. *Abraham, dicit, cùm esset rogatus ut Lazarum mitteret, dixit: Habent Mosem & Prophetas: si non audierint illos, neque*

neque resurgentes mortuos audient. Cùm autem ista dicentem inducit *Christus*, ostendit quomodo *Scripturas sacras* etiam excitatis mortuis fide digniores esse velit. *Paulus* verò (*Paulum* verò cùm dico, rursus ipsum *Christum* dico: nam is animam illius movebat) *angelis quoque è cœlo descendentibus eas præponit, idque valde meritò.* Angeli siquidem, licet magni, servi tamen sunt & ministri. Omnes enim *Sacræ scripturæ* non à servis, sed à *Deo* omnium domino scribi jussæ sunt, ac missæ. Hæc illi duo *sancti Patres.*

Quæcunque nobis cognitu necessaria sunt, plenissimè *Sacris literis* continentur: quæ in illis non extant, curiosè inquirenda nobis non sunt tanquam ad salutem utilia. Quis igitur dicet contra *Dei* præceptum ex mortuis, ex diabolicis *Spectris*, hæc vel illa exquirenda esse? Quæ arcana & abstrusa sunt, in vita demum æterna perspiciemus. Annon *Deus*, si verbo ipsius non contenti sumus, dicere nobis id potest, quod per *Heliam* legatis *Ochoziæ* regis dixit: *Nullusne Deus est in Israële, quòd Accaronem pergitis consuluri Beelzebub?* Etiam *Thomas Aqui-*

nas negat audiendos dæmones qui imponunt simplicibus, simulantes se esse animas hominum mortuorum: atque eo fuco vel maximè territantes, quod & gentilibus interdum contigerit. Si certum esset diabolum non posse apparere, & hominibus insidias parare: item ingentia miracula edere, fortassis illos spiritus audiendos quis putaret: sed contrarium videmus. Spiritus malus ornat errores coloribus cultus divini, & sub specie pietatis eam oppugnat. Nam ut *D. Hieronymus* dicit, cacodæmon non præbet se conspiciendum qualis est suis fallaciis. Ideo circunspecti & cauti esse debemus.

Quantum tribuendum sit miraculis.

Adhæc, vera miracula sunt tantùm testimonium & sigillum Verbi, neque per illa probanda sunt, quæ cum *verbo Dei* pugnant. Omnia miracula quæ nos à conditore abducunt ad creaturas, & nostris operibus tribuunt quod soli *Christi* merito tribui debet: & ad summam, quæ nos in errores abducunt, rejicienda sunt. Si animabus illis crederetur, nemo certus esse posset de suis rebus. Nam subinde novum aliquid (ut superioribus seculis factum esse constat) institueretur. Missos igitur fac spiritus illos, & veram *religionem*

nem amplectere, inque ea constanter persiste.

Cap. VIII.

Testimonia sacræ Scripturæ, & exemplum quòd hujuscemodi apparitionibus non sit adhibenda fides, quodque cauti esse debeamus.

QUod non statim omnibus illis quæ audiuntur, fides adhibenda sit, non solùm experientia & multa proverbia, sed ipsæ *Sacræ literæ* nos docent: præcipuè verò in rebus nostræ salutis, de qua re quædam duntaxat loca & exempla proferemus.

Cùm *Christus* discipulos suos primùm ablegaret ad prædicandum Euangelium, dicebat illis *Matth.* 10. *cap. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: cavete vobis ab hominibus*: quantò magis à diabolis nobis cavere debemus? *Matth.* 24. *vaticinatur Christus quòd multi falsi doctores venturi sint novissimis temporibus, & stupenda miracula edituri*

ri ad confirmandum errores suos, ideoque à fidelibus postulat ut cauti sint. Non temerè addit: *Ecce, ego prædixi vobis.* D. *Paulus ad Gal. 1. cap.* magna gravitate dicit, *si angelus de cælo veniat, & aliud eis Euangelium prædicet, anathema esse.* Ita, si hodie quoque spiritus veniant, & dicant quæ pugnant cum doctrina *Prophetica & Apostolica*, repudiandi sunt. *In 1. ad Tim. 4. cap.* vaticinatur *Apostolus de falsis doctoribus*, qui ultimis temporibus venturi sint, & dicit: *Spiritus disertè loquitur, quòd posterioribus temporibus desciscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, &c.* Per spiritus illos intelliguntur falsi doctores, qui jactitant Spiritum Dei: sed quid obstat, quò minus etiam de vagis illis spiritibus intelligamus, qui hominibus multa persuaserunt? *In 2. ad Thess. 2. cap.* cùm quidam dicerent novissimum diem jamjam instare, prædicit

Pau-

Paulus defectionem & Antichristum prius venturum, obtestaturque credentes, dicens: *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostri aggregationem in illum* (electi enim ad illum colligentur) *ne citò dimoveamini à mente, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam à nobis profectam, quasi instet dies Christi, ne quis vos decipiat ullo modo, &c.* Quæ verba, meo quidem judicio, de errantibus illis spiritibus etiam intelligi possunt non incommodè. *D. Joannes dicit in 1. epist. 4. cap. Charissimi, ne cujus spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint: quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum. Per hoc cognoscite Spiritum Dei: Omnis spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, &c.* Hoc loco non quidem loquitur de spiritibus qui se mentiuntur animas esse: sed de doctoribus illis, qui gloriantur se divino Spiritu præditos esse. At si viventibus non statim credendum est, multominus mortuorum animabus. Etsi verò neque *Christus* neque *Apostoli*, nos tam diligenter monuissent, ne sinamus

nos

nos miraculis & sermonibus spirituum seduci, tamen quotidiana experimenta nos docent, ut circumspecti & cauti his in rebus simus. Nam falsi doctores cùm primùm vident se testimoniis *Scripturæ* destitutos, statim ad visiones & Spectra convertuntur, quibus sua probare volunt: quæ res latissimam multis erroribus fenestram patefecit. Quonam ambitio, avaritia, invidia, clericos adegerit, plurimis exemplis notum, & suprà quoque obiter ostensum est. Nonne ordines Monachorum inter se certarunt de Primatu? Nonne nova miracula, divos, peregrinationes, sanctos spiritus finxerunt?

Exemplum quod non statim fides sit ad hibenda apparitionibus.

Insigne & præclarum exemplum est D. *Virgo*, ne cuivis spiritui statim credamus. Nam cùm angelus *Gabriel* forma aspectabili ei appareret, eam salutaret, & incarnationem *Filii Dei* prædiceret, cogitabat illa qualisnam hæc salutatio esset, quomodo hoc fieri posset, cùm nullam cum viro consuetudinem habuisset: Tum demum cùm ab angelo doceretur de modo, dicebat, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Cur igitur nos cuivis spiritui, etiam illis qui ex diametro

metro pugnantia cum *verbo Dei* afferunt, statim fidem adhiberemus?

Cap. IX.

Quo pacto fideles in veteri Ecclesia ad occursum spectrorum se gesserint.

Dixi ex *Verbo Dei* quomodo se pii homines ad spectrorum apparitionem gerere debeant, atque ad hunc modum veteres *Christiani* se gesserunt. Fuerunt enim fortes & impavidi, studuerunt sanctitati, omnibusque bonis operibus, caverunt sibi studiosè ab illis quæ *Deo* displicent: cauti insuper fuerunt ne hisce Spectris nimium tribuerent.

Veteres se cruce munierunt.

Usitatus mos fuit ad occursum harum rerum se cruce munire: idem hodie quoque multi solent facere. *Tertullianus* scribit *in libro suo de Corona militis*, veteres Christianos frontem suam sæpe signasse cruce. *D. Hieronymus Demetriadem* hortatur, ut crebrò signaculo crucis frontem muniat, ne locum in ea exterminator *Ægypti* inveniat. *Origenes* quoque, *Epiphanius*,

Chry-

Chryſoſtomus & *Auguſtinus* multa ſcribunt de virtute ſanctæ crucis. D. *Athanaſius* ſcribit *in lib. de humanit. Verbi ejuſque corporali adventu, fol. 67. Olim*, inquit, *dæmonia inani ſpecie ludibriiſque rerum intricabant homines*, inſeſſis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus aut lignis, atque ita præſtigiis fatuos in ſtuporem agebant: Nunc verò cùm apparuerit *Dei* verbum *Spectra* hujuſmodi & ludibria imaginum ceſſaverunt. *folio* 56. *item* 72. & aliis in locis eadem de re agit.

Lactantius ſcribit *divinarum Inſtitutionum lib.* 4. *cap.* 26. *& per integrum cap.* 27. *hac de re*: dicit ad illos qui frontem cruce ſignant, diabolum non habere acceſſum, nec lædere eos poſſe. Addit, *Chriſtianos* hac ceremonia antiquitus in expellendis dæmonibus, & ſanandis morbis uſos eſſe.

An crucis ſignum vim aliquam habeat.

Non quòd externo crucis ſigno tantam vim & efficaciam aſcripſerint (ſuperſtitioſum enim hoc eſſet) ſed cruci, hoc eſt, merito *Chriſti*, cujus dignitatem ſimul in mentem revocarunt. De ſanctis quidem *Apoſtolis* & *Apoſtolicis Eccleſiis* non legitur, quod ceremonia crucis in expellendis dæmonibus

nibus vel morbis curandis, aut alias quoque usi sint. *Judæis*, qui in *Ægypto* superliminare sanguine agni signarunt, parsum fuit: non quòd sanguis ovillus vim haberet conservandi homines ab interitu, sed typus erat sanguinis & crucis *Christi*. *Judæi* verò sanguinem non ex sua hona intentione, ut vocant, asperserunt: sed jubente *Domino*. *Sancti Patres* illa ceremonia, quòd cruce se signarunt, suam fiduciam in crucem, hoc est, in mortem *Christi* testari voluerunt, quæ omnia mala depellit. Diabolus neque crucem, qua nos signamus, neque frusta illa crucis *Christi*, quæ pro reliquiis ostenduntur, timet: sed efficaciam & vim mortis *Christi*, per quam ipse victus est & prostratus. Si quis ceremoniis nimium tribuit, excusari à superstitione nequit, quæ meretur reprehensionem.

Crux lignea.

Legimus ad hæc apud *Veteres*, quod in primæva Ecclesia, exorcismis contra dæmones usi sint.

Apud *Tertull. legis in lib. De anima*, quòd immundi spiritus homines sæpe deceperint, se pro aliis venditarint, ac simularint se esse animas mortuorum, ne crederent omnes animas ad inferos

Adjuratio dæmonum.

inferos (quid per *Inferorum* vocem intelligendum sit suprà annotavi) descendere, atque ita fidem de novissimo judicio & resurrectione mortuorum in dubium vocarent. Addit, quòd postea eos adjurarint, & compulerint invitos fateri quòd impuri spiritus essent, non animæ mortuorum.

Veteres adhæc impuros spiritus ex hominibus, & locis illis in quibus tumultu suo multis ingentem terrorem incussérunt, eosque læserunt, depulisse legimus. Talis historia apud *Abdiam Babylonium extat, de S. Joanne.* Etenim *S. Apostoli*, & postea multi viri sancti hac gratia à *Deo* prædíti fuerunt: ut ejicerent immundos spiritus: quod donum in bonum fidelium longo tempore duravit in *Ecclesia*: postea verò desiit, ut alia quoque miracula. Facit ad hæc etiam quod *Tertull. scribit in suo Apologetico, fol.* 858. & 859.

Jam satis intelleximus quomodo sancti *Patres*, & veteres *Christiani* se gesserint quando *Spectra* eis apparuerunt.

CAP.

Cap. X.

Varias superstitiones paulatim crevisse, quibus Spectra pellere homines voluerunt.

PRogressu temporis superstitiones magis magisque creverunt. *Paulus* queritur suis temporibus *Antichristum* cœpisse, mysterium iniquitatis agere, variasque sectas exortas esse: *S. Joann.* scribit, suis temporibus multos *Antichristos* extitisse: quid igitur mirum, si postea, & maturè quidem, varii errores in Ecclesiam irrepserunt, & postea cumulati sunt? 2 *Thess.* 2. 1 *Joan.* 4.

D. Augustinus lib. 22. *De civit. Dei cap.* 8. cum aliquot miracula recitasset, quæ ideo edita sint, ut homines in *Christum* credant, ponit talem historiam: *Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum eò pergeret, cu-*

jus

jus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico sua terram sanctam, de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit: eamque suspenderat in cubiculo suo, nequid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus ejus ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat, &c. Hinc claret superstitionem statim cœpisse, &, ut fit, ingenti incremento auctam esse: ut si quis conglobatas nives promoveat, aut si moles nivium in Alpibus deorsum ferri incipiant, omnia longè lateque complentur nivibus. Mox etiam cœptum est orari pro animabus, & sacrificari: & bono quidem animo, id quod ex quibusdam locis *sanctorum Patrum* non obscurè intelligitur.

Postea cùm Episcopi & Parochi veteres superstitiones non modò non correxerunt, sed potius bona, ut vocant, intentione auxerunt, tandem in immensum auctæ sunt: Nam quando *Spectra* apparuerunt, homines non

Deum

Deum solùm per *Christum* invocarunt, sed sanctos, non cogitantes de dicto *Pauli ad Rom. 10. cap.* (alia enim argumenta nunc prætereo) *Quomodo invocabunt illum in quem non crediderunt?* In solum autem *Deum* credendum esse ne Papistæ quidem negant, ideoque ipse solus per *Filium suum* adorandus erat.

Angelica salutatio.

Quidam scribunt ad pellenda *Spectra* imprimis conferre, si oremus Ave Maria. Ubi obiter annotandum est, salutationem illam angelicam, non esse orationem, sed salutationem & historicam narrationem: quomodo scilicet *Archangelus Gabriel* incarnationem *Christi* sanctæ virgini prædixerit. Sed expende, quæso, verborum significationem, & velis nolis dicere oportebit, hæc verba, neque petitionem, neq; gratiarum actionem, quæ orationis species sunt, continere. Cùm angelus ad ipsam accessit, salutavit eam, dicens χαῖρε hoc est, salve, vel gaude: (*Græcum* enim verbum, & Latinum Avere, teste *Festo*, eandem habent vim) addit gratia plena, quod passivè, ut in scholis loquuntur, intelligendum est, quòd *Deus* gratiam suam ei contulerit: ita enim ipse angelus exponit, quando

Avere est gaudere.

do postea dicit, eam gratiam invenisse, hoc est, *Deum* ipsi esse propitium, & bene velle. Non ita accipienda sunt illa verba, quòd ipsa sit fons gratiæ (ut quidam interpretantur) quodque ex se gratiam habeat, eamque illis conferat qui eam invocant, vel salutatione angelica affantur, hunc enim sensum neque vox *Græca*, neque alii loci *Scripturæ* admittunt. Ad *Ephes. 1. cap. dicit Apostolus, Deum nos suos fideles gratia sua charos reddidisse per dilectum, hoc est, Jesum Christum.* Ubi idem verbum ponitur, quo usus est angelus in salutanda diva Virgine, *Joan. 1. cap. disertè scribitur, Joannem Baptistam de Christo alta voce testatum esse, atque dixisse, quòd nos omnes de plenitudine ejus acceperimus gratiam pro gratia. Legem enim datam esse per Mosem, gratiam autem & veritatem per Christum exortam esse.* Alia id genus loca brevitatis causa omitto. Ipsa Maria virgo dicit, *Deus* mihi magnifica fecit. Celebrat gratiam sibi à *Deo*, nullis intercedentibus suis meritis, tributam. Majorem enim gratiam nulli fœminæ contulit. Magnum autem est discrimen inter illum qui gratiam confert, & illos qui gratiam accipiunt vel con-

consequuntur. Apud illum solùm qui gratiam confert gratia quærenda est, & non apud illos qui gratiam acceperunt. Superioribus aliquot seculis, omnes opem D. Virginis implorarunt plus gratiæ & auxilii ab ea sperantes quàm ab ipso *Christo*. Addit angelus, *Dominus* tecum, benedicta inter mulieres, hoc est, plus gratiæ *Deus* in te contulit, quàm in ullam aliam. Quæ adjiciuntur, Benedictus fructus ventris tui, non sunt verba angeli, sed cognatæ ipsius *Elisabethæ*, quæ & ipsa eam salutavit. His adjecerunt homines religiosi, *Iesus Christus*, amen. Proinde angelus non omnia illa verba salutationis angelicæ protulit (id quod manifestè colligitur ex ipso contextu, *Lucæ 1. cap.*) non quòd negemus illa verba bona esse & sancta: de *Elisabetha* enim dicit textus, quòd impleta fuerit *Spiritu sancto*: sed quæ angelus non dixit, non sunt ei tribuenda. Temporibus *Apostolorum* & multis sequentibus, non invenies apud probatos scriptores, hanc salutationem orationis loco habitam fuisse, aut pios D. Virginem salutasse vel invocasse. Quod non idcirco scribimus, quòd D. Virgini suum honorem præreptum velimus:

sed ideo ne contra ipsius voluntatem ipsi illum honorem deferamus, qui *Deo Patri*, ejusque *Filio Iesu Christo soli competit. Ipse enim est unicus intercessor noster & redemptor*, 1. *Timoth.* 2. Alias angelica salutatio, & alii loci *sacræ Scripturæ* pleni consolatione, de humanitate *Christi*, ejus supplicio, morte & merito sæpe & diligenter legendi & expendendi sunt: neque plebeiis hominibus excutiendæ sunt ex manibus *sacræ Scripturæ*, in quibus hæc omnia suis oculis videre possunt. Non quidem nego *Spectra* ad recitationem salutationis angelicæ sæpe evanuisse: sed ita factum est, ut homines in superstitione confirmarentur.

Aqua lustralis.

Ulterius progressi, aquam peculiaribus ceremoniis ex orcizarunt, vel consecrarunt, eamque in templis, domibus, & alibi in ahenis habuerunt: hanc vim ei tribuentes inter alia, quòd pellat *Spectra* & phantasmata. Salem similiter consecrarunt, & docuerunt quocunque projiciatur pellere *Spectra* & dolos Satanicos, imò ipsum Satanam. Adhæc lucernas, palmas, herbas & alias creaturas, certis ceremoniis & verbis adjurarunt, ad pellenda, ut vocant, *phantasmata*. In loca illa

Salem consecratus.

illa in quibus *Spectra* vel visa vel audita sunt, & hæc & alia, ut reliquias sanctorum, detulerunt. Affirmarunt etiam campanas vel tintinabula suo clangore diabolos ex aëre pellere. Hæc omnia plenius inveniuntur in Papistarum libris, qui de consecratione illarum rerum conscripti publicè extant. Si campanæ die *Sanct. Ioannis* vel *Sanct. Agathæ* pulsentur, efficacissimum remedium contra *Spectra* esse dicunt. Die *D. Joannis* quidam fasciculum herbarum consecratarum incenderunt, ut fumo earum dæmones fugarent. Multi peculiares suas & mirandas benedictiones habent contra Spectra. Varia quoque mortuorum sacra instituta sunt, jussu animarum vagantium, missæ pro defunctis, vigiliæ, preces, anniversaria sacra: ac si animæ piorum non statim omnibus malis ereptæ, in æternas sedes transferantur. *Gentiles* quoque sacra sua pro mortuis habuisse, veluti Novendialia sacra, quæ nono die celebrabantur, & annua festa, ex *Poetarum & Historicorum* lectione constat, &c. Cæterùm animæ illæ fictitiæ, nihil petierunt tam obnoxiè, quàm ut frequentes missæ in eorum gratiam celebrarentur,

Clangor campanarum.

tur, illas enim ad redimendum eas ex purgatorio maximas & incredibiles vires habere asseruerunt.

Ordo Cistertiensis.

Ioannes Trittenhemius iu Chronicis suis de monasterio Hirsgaviensi tradit circa *annum Christi* 1098, imperante *Henrico quarto*, quando ordo *Cistertiensis* ortus est, non procul *Vormatia* multis diebus & noctibus maximas copias equestres & pedestres apparuisse, tanquam ad bellum progressuras & nunc huc nunc illuc per turmas discurrentes, circa nonam horam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire consueverant, revertisse. Tandem nocte quadam monachus quidam *Limpurgensis* cœnobii (non procul à monte distantis de quo exire solebant) assumptis secum quibusdam aliis, ad locum montis accessisse, munivisse signaculo sanctæ crucis, atque exeuntes de monte, qui essent, per virtutem *sanctæ & individuæ Trinitatis* ut dicerent, fortiter adjuravisse. Cui unus e turma respondent: Nos sumus phantasma, nec milites viventes, sed animæ hominum in hoc mundo principum terrenorum militantium, non ante multos annos in hoc loco interfectorum. Arma, habitus & equi, qui

nob

obis dum viveremus instrumenta
rant peccati, etiam nunc post mortem
i nobis sunt quædam indicia tormen-
i. Omne quod jam cernitis circa nos,
otum ignitum est nobis, quanquam
os ignem nostrum minimè videatis.
Cumque monachus utrum juvari ab
ominibus possent, inquireret, spiritus
espondit: Iejuniis & orationibus, &
naximè oblatione corporis & sangui-
is *Christi* adjuvari possumus & roga-
nus. His dictis, omnis illa multitu-
lo spirituum, quasi una voce clama-
at trina vice, *Orate pro nobis, orate*
ro nobis, orate pro nobis. Mox omnes
n ignem resoluti videbantur: sed &
nons ipse, quasi arderet, ignem &
naximum fragorem arborum & stre-
itum emisit, &c.

In Ecclesia peculiarem ordinem *Exorcistæ*
abuerunt illorum quos *Exorcistas*
ominarunt, qui adjurare & pellere
ebuerunt dæmones, sed dono illo non
uerunt instructi ut veteres *Christiani*,
deoque tantum se jactarunt & osten-
arunt.

Deinde aliqui ex monachis & sa-
rificis magicæ artis periti (nunquam
nim illis tam præclari homines de-
uerunt) conati sunt malos spiritus ex

domibus in ſylvas & loca deſerta abigere atque adjurare. Illi mira egerunt, dixerunt ſpiritum malum in nomine ſanctorum, virtuteque adjurationis, vel characterum, etiam invitum cedere. At diabolus cedit quidem, ſed ut hoſtes qui locum pugnæ idoneum & aptum inſidiis deligunt. Quod Satan facit, facit ultro & ſponte, ut homines à fiducia unici *Dei* abducat, & in idololatriam præcipites agat. *Chriſtus* & *Apoſtoli* expulerunt dæmonas, ſed invitos & nolentes. Adhæc *Euangelium Joannis* de collo ſuſpenderunt, ceram conſecratam incluſam crumenæ) *Agnum Dei* vocant) circumgeſtarunt. Extant libri aliquot, & in primis *Iacobi de Clauſa Cartuſani*, de apparitionibus animarum quæ exutæ ſunt corporibus: in quo inter alia legitur quo pacto præparari homines conveniat ſi ſpiritus apparent: quomodo in acceſſu & receſſu, & in loco ubi ſe exhibet, ſe gerere debeant, quæ ei ſint proponenda: de quibus ſuprà Parte ſecunda hujus libri, capite ſecundo dictum eſt, unde repetenda ſunt.

Audivi homines qui profiterentur ſe tam ſuperſtitioſos fuiſſe, ut cùm ſacerdos

cerdos hostiam, ut vocant, elevaret in celebratione missæ, statim manu vultum deterserint, quòd crederent ad hoc prodesse, ut nulla Spectra aspectabili forma illis essent occursura.

Sed dic mihi, quæso, quisquis es, quibus illas ceremonias *Scripturæ* locis confirmabis? Ubi docent nos *Christus* & ipsius *Apostoli*, diabolum, qui spiritus est, ideoque corporis expers, rebus corporeis expellere? Ostendite vel unicum exemplum quòd hac via & ratione diabolum repulerint. Si proferas ex *libro Tobiæ, cor & jecur piscis prunæ impositum, suo odore dæmonium pepulisse*: dicimus librum illum non numerari inter *Canonicos*: item dæmonium illud ardentibus *Tobiæ* ejusque conjugis precibus potius quàm suffitu depulsum esse. An *Christus* in hunc finem *sacram Cœnam* instituit, ut per ipsam dæmonia ejiciantur? Licet spiritus malignus simulet se propter hæc loco cedere, tamen interim efficit ut superstitiones in pectoribus hominum profundiores radices agant.

CAP. XI.

Spectra non diris & execrationibus pellenda esse.

HOc loco non possum præterire, quòd quidam falsò sibi persuadent, *Spectra* diris & execrationibus nullo negotio repelli: etenim *Spectra* illis qui preces fundunt appropinquare, eosque vehementiùs turbare atque vexare. *Dominus noster Jesus Christus* qui optimè novit quomodo contra diaboli insidias pugnandum sit, non uno in loco docet nos perseveranter orare. In precatione dominica jubet nos orare, *ut à malo liberemur*, Satanam Καὶ' ἐξοχὴν τὸν πονηρὸν appellans. Gratius nihil accidere potest diabolo, quàm si quis diris & execrationibus utatur. Simulat se his rebus abigi, sed intereà se apud illos homines invisibiliter insinuat. Si placet potes diabolum abigere, dicendo quòd apud te nullum habeat locum, sed in *Tartaro*: ipsi nihil juris in illos esse, qui suam fiduciam in solo *Christo* collocent. Nam *ad Rom. 8. cap.* dicitur mox ab ini-

initio, *Nulla nunc est condemnatio his qui insiti sunt Christo Jesu: qui non juxta carnem versantur, sed juxta spiritum, &c.* Potest aliquis diabolo præcipere, ut ab eo discedat, omissis diris & imprecationibus. Est & illud reprehendendum, quòd quidam prophani & temerarii homines, si *Spectra* eis appareant, obscœnè & turpiter cum illis loquuntur.

Quidam cùm *Spectra* se eis offerunt, strictis gladiis ea adoriri atque propulsare volunt, interdum per fenestras deturbare: non expendentes spiritus his armis non lædi. In rebus *Græcorum* legitur, quòd *Lacon* quidam noctu sepulchrum præteriens, cùm sibi videretur *Spectrum* apparere, accurrerit lancea sua illud trajecturus. Quò me fugis, inquiens, anima bis moritura? Laudem quidem meretur, si quis *Spectrorum* occursu non terreatur, tamen audacia laudari non potest & temeritas. Si hostis quantumvis imbecillis non est contemnendus, multò minus hostis tam potens & vafer. Fuerunt qui cùm ferire gladio *Spectrum* vellent, sibi visi sint culcitram ferire, diabolo illos ludificante. Alii putantes se *Spectrum* per fenestram projecisse,

Spartani cujusdam audacia.

mox sibi visi sunt audire scandulas in arbusta volitantes.

Dicuntur quidam fuisse, qui cùm *Spectra* armis se læsuros sperarent, seipsos læserint: brachia enim, vel alia membra corporis, suum officium deinceps non feciſſe. Gladio materiali contra *Spectra* & formas illas inanes non est utendum nulla enim est utilitas) sed gladio spirituali. Qui *lemures* & *umbras* gladio ferire volunt, reverà σκιαμαχεῖσι, hoc est, pugnant cùm umbris vel larvis. *In lib. Job, per Leviathan, qui lanceam non curat, diabolus significatur, qui variis formis apparet, & hastis non repellitur.* Diabolus spiritus est, non habet ossa & carnem, sed tantùm assumit formam aliquam ad tempus. Sin verò corporei spiritus vagentur (hoc est, magi, sacrifici, scorta & scortatores, qui se spiritus esse metiuntur) non melior exorcismus potest inveniri, quàm si fuste dedolentur. Verbis enim bonis & sanctis, apud hoc dæmonum genus non tantùm efficies quantum verberibus.

Hactenus ostendi quo pacto illi gerere se debeant, quibus *Spectra* occurrunt: quod autem ad illos qui nihil viderunt vel audiverunt (sunt enim

quibus

quibus per totam vitam ſuam nihil tale contigit) gratias *Deo* agant pro hoc magno beneficio, non ſint temerarii & audaces, neque petant ſibi aliquid hujus generis objici, ſed potius apud *Dominum* pro illis intercedant, qui his malis vexantur. Ne faciant ut illis ferè ſolent qui nunquam graviter ægrotarunt: non enim afficiuntur aliorum morbis, putant eos leviter ægrotare, vel potiùs morbum ſimulare, donec ipſi quoque in graves & periculoſos morbos incidant: ita *Deus* poteſt illis qui hactenus nulla *Spectra* viderunt, etiam aliqua objicere à quibus vexentur, ut deinceps aliorum quoque malis afficiantur, & ſedulò pro illis orent.

Cap. XII.

Quo pacto nos, ſi inſoliti fragores audiantur, aut alia præſagia fiant, gerere conveniat.

QUod nunc ad res alias attinet, ut ſi inſoliti fragores & ſtrepitus audiantur, reſque mirandæ ante magnas mutationes imperiorum, de

quibus ſuprà dictum eſt, fiant, quid tum erit agendum? Non nimium illis tribuendum eſt: nam res illæ interdum, imò plerunque diaboli aſtu fiunt, cui gratiſſimum eſſet homines dies noctesque de illis cogitare, multas res horrendas oculis & animis ſuis ſubjicere, ut in difficiles morbos inciderent: nullumque diem quietum haberent. Quando illa reverà fiunt, monere nos debent, ut omnibus illis quæ *Deo* diſplicent repudiatis, nos totos ipſi conſecremus: noſque comparemus ut quacunque hora venerit, id quod ipſemet nos docet, & nos ex hac vita evocare voluerit, parati ſimus: omnes item triſtes caſus quotquot nobis accidunt, patienter feramus; videntes eos non caſu accidere.

Plutarchi ſententia Chriſtiana.

Plutarchus, licet ethnicus ſcriptor, De prodigiis & portentis meo judicio, rectè ſenſit. Scribens enim in ſuis Vitis *de Alexandro Magno, oſtenta quædam obitum ejus anteceſſiſſe, dicit Alexandrum interdum illa prorſus non curaſſe, ſed omnia contempſiſſe, è diverſorum leviculas mali portenti, & ominis loco habuiſſe.*

Addit, quemadmodum perniciosum ſit, ſigna à *Deo* hominibus propoſita,

sita, contemnere: ita è diverso pernicioſum & noxium esse, omnia metuere. Nam ut aliis in rebus, ita in his quoque modum esse servandum. Idem sentit de aliis prodigiis & miraculis. Nam in vita *Camilli* legitur, *Camillum* ducem cùm *Vejos* cepisset & vastasset, votum feciſſe de simulachro *Junonis Romam* transferendo, mandabat igitur certis homibus ut simulachrum tollerent: offerebat sacrificia deæ, rogabat ut se comitaretur, & *Romanis* sicut & alii dii qui *Romæ* habitabant, esset propitia: simulachrum respondit, se velle ire. Scribit illos qui hæc annotarint, alia quoque id genus prodigia recitare, ut quòd simulachra sudarint, quòd ingemuerint, quòd faciem suam averterint, vel demiserint. Scribit illos qui ante sua tempora vixerunt, plurima illius generis collegisse, seque ab illis qui suis temporibus vixerunt, multas res miraculosas audivisse, quæ non statim à quoquam contemnenda & rejicienda sint: humanam tamen infirmitatem efficere, ut non citra periculum illis rebus aut nimium aut minimum tribuatur. Homines enim non servare modum: sed vel nimis superstitioſos esse, nimium-

que illis rebus tribuere: aut prorsus eas rejicere & contemnere. Optimum verò esse ut cauti simus, & modum servemus illis in rebus. Ipsis *gentilibus* multa miracula & prodigia suspecta fuisse, neque immeritò, etiam *Valerius Maximus libro primo* confitetur. Vera autem prodigia veternum nobis debent excutere. Generosus equus rectè incedit: tamen si vel virga ei signum detur, aut calcaria admoveantur, fit alacrior: ita quoad vivimus, incedendum est per viam ducentem nos ad cæleste regnum: sed si signa aliqua conspiciamus, magnæque mutationes impendere videantur, magis excitari debemus, incumbere precibus, studere pietati. *Gentiles* si quando hujusmodi admonitiones eis divinitus propositæ fuerunt, suas supplicationes instituerunt, ut suos deos placarent: quantò magis omnes *Christiani* principes & magistratus, doctores & concionatores nostris temporibus, toti in hoc esse debent, pœnis impendentibus, ut omnes & singuli pœnitentiam veram agant.

Ne quid nimis.

Conclusio.

Hactenus abundè, ut spero, ostendimus, quid de *Spectris* & *apparitionibus* spirituum, aliisque rebus mirandis, quæ magnam cum illis cognationem

tionem

tionem habent, judicandum videatur: quodque doctores longè aliter superioribus aliquot seculis de his dixerint & scripserint, quàm res reverà habeat: causas quoque illius rei assignavimus. Idem in aliis quoque doctrinæ *Christianæ* capitibus factum esse multis posset ostendi, imò à multis eruditione & pietate præstantibus viris jam antè abundè ostensum est, libris his de rebus publicè extantibus.

Utque hunc meum librum concludam, omnes illos qui in eum incident, rogates velim propter *Dei* gloriam, ut si putent me aliqua in re discedere à regula *verbi Dei*, me amicè & liberè admonere dignentur: sin verò (ut spero) *verbo Dei* consentaneum esse cognoscant: ne deinceps se monachis & sacrificis impostoribus regendos præbeant atque illudendos: quin potius *Deo* gratias agant, pro immenso illo & inenarrabili beneficio, quod eos quotidie ex magnis erroribus & terroribus liberat, suamque veritatem magis magisque profert: neque ita laxent fræna suis affectibus, ut agnitam veritatem rejiciant.

Cappadocibus, ut historia testatur, cùm regium genus apud eos extinctum

periis-

periisset, *Senatus populusque Romanus* concessit, ut liberi & sui juris deinceps essent. Principes verò re deliberata, libertatem quam concoquere nequirent recusantes, *Regem* postularunt. *Romani* hoc mirati, liberum eis fecerunt, ut quemcunque vellent regem declararent. Ne simus tam stolidi, sed libertatem animarum nostrarum, quam *Deus* nobis quotidie per *verbum suum* offert, amplectamur.

Multæ præclaræ gentes fortiter pugnantes, se in certissimum vitæ periculum obtulerunt, ut dulcem libertatem, & externam quidem pararent atque defenderent. Quantò magis nos *Christiani* pugnare debemus contra Satanæ dolos & insidias, ne animarum libertas, quæ multò pretiosior est altera illa, per varias superstitiones & errores opprimatur?

Sedentes in tenebris, lucem summis precibus expetunt. Ne igitur lucem nobis à *Deo* per *Scripturas* ultrò oblatam abjiciamus. Nihil in hisce terris charius habeamus animæ & conscientiæ nostræ libertate: veritatem, ut *Paulus* dicit, *in injustitia non detineamus*.

Quisque, cujuscunque sit ætatis, secum

secum expendat quàm brevis, & caduca sit vita illa, quam *Deus* nobis largitus est, quodque citiùs quàm ipsi putemus, hinc nobis excedendum sit, & justo Judici, nostræ fidei, sermonum, factorumque ratio reddenda.

Deo Optimo, Maximo, sit laus & gloria in perpetuum: is omnibus, qui adhuc erroribus & superstitionibus involuti sunt, manum suam porrigere, eosque liberare ex illis, dignetur: his verò quos liberavit, suam gratiam conferat, ut pro tanto beneficio grati sint, ne iisdem malis denuò involvantur.

FINIS.

CAPITA TRIUM DE SPECTRIS PARTIUM.

PRIMÆ PARTIS CAPITA.

CAP. I. De vocabulis quæ in materia de Spectris & variis præsagitionibus sæpe occurrunt. pag. 1.

CAP. II. Melancholici & furiosi multa sibi imaginantur, quæ revera non sunt. 11.

CAP. III. Meticulosi homines fingunt se Spectra videre & audire. 18.

CAP. IV. Qui imbecillo visu sunt & auditu, sibi imaginantur multa quæ revera non sunt. 22.

CAP. V. Multi terrent alios, ut putent se Spectra vidisse vel audivisse. 29.

CAP. VI. Sacrifici & monachi simularunt se spiritus esse, quomodo Mundus sub hoc prætextu Paulinam,

nam, Tyrannus multas nobiles & honestas matronas stuprarint. 31.
Cap. VII. Timotheus Ælurus se angelum mentitus, Episcopatum invasit: quatuor Monachi ordinis prædicatorum Bernæ multas apparitiones finxerunt. 38.
Cap. VIII. De fallaci & mendaci spiritu Aureliæ in Gallia. 51.
Cap. IX. De quodam Parocho Clavennæ qui se divam virginem, & alio quodam, qui se animam esse mentitus est, item de quodam Jesuita personato. 57.
Cap. X. Mirum non esse quòd olim falsæ apparitiones factæ sint, neque mirum esse si hodie quoque fiant. 62.
Cap. XI. Multas res physicas vulgò pro Spectris haberi. 68.
Cap. XII. Quòd spiritus vel Spectra interdum appareant, probatur historiis Gentilium. 74.
Cap. XIII. Ex historia veteris Ecclesiæ, & scriptis sanctorum Patrum probatur esse Spectra. 86.
Cap. XIV. In libris Monachorum multæ rediculæ & fabulosæ apparitiones continentur. 91.
Cap. XV. Probatur ex aliis scriptoribus

ribus idoneis, spectra interdum apparere. 94.
CAP. XVI. Spectra apparere docet quotidiana experientia. 99.
CAP. XVII. Obitum hominum, prælia, & insignes mutationes præcedunt aliqua ostenta & præsagia, audiuntur subiti fragores, aut alia id genus. 107.
CAP. XVIII. Spectra interdum videri & audiri, & alias res mirandas accidere, confirmatur testimoniis Sacrarum literarum. 118.
CAP. XIX. Quibus, quando, ubi, quomodo Spectra appareant, & quidnam efficiant. 122.

SECUND. PART. CAP.

CAP. I. Gentilium, Judæorum & Turcarum doctrina vel fides, de animabus separatis à corporibus. 136.
CAP. II. Papistarum doctrina de animabus, earumque apparitione. 141.
CAP. III. Quid ex illa Papistarum doctrina de apparitione animarum sequutum sit. 153.
CAP. IV. Testimonia verbi divini, quòd neque fidelium neque infidelium

lium animæ, postquam sejunctæ fuerint à corporibus in hac terra oberrent. 158.
Cap. V. Testimonia veterum Patrum, quòd animæ à corporibus separatæ in terris non errent. 162.
Cap. VI. Argumenta illorum diluuntur qui animas mortuorum apparere dicunt. Primùm respondetur ad id quod quidam dicunt, Deum omnipotentem esse, ideoque contra usitatum ordinem posse agere. 173.
Cap. VII. Verum Samuelem Pythonissæ in Endor non apparuisse. 178.
Cap. VIII. Argumenta illorum qui verum Samuelem apparuisse volunt, diluuntur. 187.
Cap. IX. Utrum Diabolus specie fidelis hominis alicui apparere possit. 196.
Cap. X. Moses & Helias Christo Domino nostro in monte apparuerunt: multi anima & corpore resuscitati sunt: proinde animæ quoque in has terras redire possunt. 203.
Cap. XI. An sancti Apostoli putarint se videre animam, quando Christus post suam resurrectione eis ex improviso apparuit. 207.

Cap.

CAP. XII. De sanctis Patribus, Conciliis, Pontificibus, & vulgo, qui dicunt animas apparere. 213.
CAP. XIII. An animæ ex Purgatorio & Limbo puerorum redeant. 218.
CAP. XIV. Quid sint illa quæ videntur & audiuntur: & primùm quidem quòd interdum boni angeli appareant. 225.
CAP. XV. Aliquando & plerunque conspici malos angelos. 229.
CAP. XVI. De prodigiis, ostentis & aliis id genus. 231.
CAP. XVII. Diabolo non est difficilæ variis formis apparere, & res mirandas efficere. 235.
CAP. XVIII. Diaboli interdum homines jubent facere quæ bona sunt, vitare contraria: vera quoque interdum dicunt, & quare. 241.

TERT. PART. CAP.

CAP. I. Deus Spectris suos fideles exercet, & infideles punit. 247.
CAP. II. Quæ sit causa quòd nostris temporibus tam pauci spiritus conspiciantur vel audiantur. 259.
CAP. III. Quare Deus fragores insolitos

solitos & inconditos strepitus, ante mutationes insignes, & alias sinat audiri. 263.

Cap. IV. Quo pacto illi se gerere debeant, quibus boni vel mali spiritus apparent, & aliæ res mirandæ offeruntur, & primo loco quomodo se Gentiles & Iudæi in hujusmodi casibus gesserint. 265.

Cap. V. Quo pacto Christiani, quibus Spectra se offerunt, sese gerere debeant, & primùm forti esse animo debent, & firmi in fide. 270.

Cap. VI. Illos qui à Spectris vexantur, in primis decet precibus insistere, jejuniis, sobrietati, vigiliis, & pietate vitæ studere. 274.

Cap. VII. Spiritus qui apparent, meritò nobis suspecti esse debent: non sunt conferendi sermones cum ipsis: nihil ex ipsis est discendum. 277.

Cap. VIII. Testimonia sacræ Scripturæ, & exemplum quòd hujuscemodi apparitionibus non sit adhibenda fides, quodque cauti esse debeamus. 285.

Cap. IX. Quo pacto fideles in veteri Ecclesiæ ad occursum Spectrorum se

se gesserint. 289.
CAP. X. Varias superstitiones paulatim crevisse, quibus Spectra pellere homines voluerunt. 293.
CAP. XI. Spectra non diris & execrationibus pellenda esse. 304.
CAP. XII. Quo pacto nos, si insoliti fragores audiantur, aut alia præsagia fiant, gerere conveniat. 308.

Ordo Figurarum ad Bibliopolam.

1. Figur. pag. 40.
2. Figur. 80.
3. Figur. 95.
4. Figur. 114.
5. Figur. 187.
6. Figur. 200.
7. Figur. 236.

93-B13506

Lisa & Leonard Baskin